



Specimen politicum inaugurale de regno Romano

<https://hdl.handle.net/1874/291128>

SPECIMEN POLITICUM
INAUGURALE
DE
REGNO ROMANO.

QUOD

FAVENTE SUPREMO RERUM DOMINO

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

JOANNIS DAVIDIS HAHN,
Philos. & Med. Doct. Philosophiae, Physices Experimen-^{ad}
talis & Astronomiae Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque
Nobilissimae FACULTATIS JURIDICAE decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in JURISPRUDENTIA Honoribus &
Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Publico sicut Examini

JANUS ANTONIUS HELVETIUS, BATAVUS.

A. D. Kal. Maii, H. L. Q. S.



TRAJECTI AD RHENUM,
EX OFFICINA IOANNIS BROEDELET,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCLV.

APPLICACIONE
INAGIBILIS
PROSPERIDADIS

Y EN OTRAS

OTRAS FORMAS

MUY DIFERENTES
PUEDE SER EL
MODO DE HACER
ESTA CONSECUENCIA

DE CONFINO, SE PUEDE
HACER EN UNA
MANERA MUY DIFERENTE

LA QUE SE PUEDE
CONSEGUIR

EN UNA FORMA
MUY DIFERENTE

LA QUE SE PUEDE
CONSEGUIR

EN UNA FORMA
MUY DIFERENTE

LA QUE SE PUEDE
CONSEGUIR

EN UNA FORMA
MUY DIFERENTE

LA QUE SE PUEDE
CONSEGUIR

EN UNA FORMA
MUY DIFERENTE

VIRO NOBILISSIMO ATQUE
ERUDITISSIMO
JOHANNI FREDERICO
HELVETIO,

MEDICO EXPERTISSIMO, PATRI OPTIMO,
ATQUE PERPETUA PIETATE AD ROGOS US-
QUE COLENDO, STUDIORUM SUORUM JAM
A TENERIS PRINCIPI, ET MODERATORI.

*Hæc eorundem primordia, præ-
ceptorum, atque institutionis
domesticæ memoriam testa-
bunda mente*

Offert

Obsequitissimus Filius

J. A. HELVETIUS.



SPECIMEN POLITICUM
INAUGURALE
DE
REGNO ROMANO.

CAPUT PRIMUM.

De Origine Regni Romani.

§. I.

Romani, quo vix amplius augustiusve Sol adsperxit; Imperii ubi origines attenta mente investigaveris, principi gentis Historico, oportet, adstipulare, a primis quidem, qui ante superbum re pariter atque nomine Principem imperaverunt, Regibus, ita gestam, ita auctam esse Remp., ut parentes eos conditoresque civitatis merito nomines; nec ambigas, quin acer ille pudicitiae & libertatis ultor Brutus, malo id publico fuerit effecturus, si anteriorum aliquem Principum imperio exuendo, ferocium animorum evaganti licentia nondum adultae civitatis exitium commisisset. Etenim, ut ille ipse verissime addit *in princ. lib. II. Dissipatæ res nondum adultæ discordia forent, quas fovit tranquilla moderatio imperii, eoque*

A

nu

2. SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

*nutriendo perduxit, ut bonam frugem libertatis maturis jam vi-
ribus ferre possent. Tranquillam vero istam, quam nominat,
Imperii moderationem, quæque ita temperet imperio liberta-
tem, ut & cives, ita denum se liberos esse meminerint, si non
nisi legibus rite latis paruerint, non libertatem libidine me-
tiantur; & illi, quorum consiliis summa publicæ rei permissa
est, hanc sibi ponendam esse duxerint imperandi rationem,
ut neque nimiam in cæteros appetant, neque legitimam con-
tentui reddant obnoxiam potestatem; hanc inquam, frustra
est, quod exspectes ab iis civium animis, quorum unusquis-
que sibi tantum licere existimat, quantum libet; ubi tantum li-
bet, quantum vanæ plurimum & inconsultæ cupiditati ex-
plendæ sufficere, in pravum versi affectus suggerunt; ubi dum
singuli, justæ potestatis impatientes, imperii partem in se
trahere & rapere conantur, nihil plane virium in medio re-
linquitur. Conf. quo nemo melius hæc explicaverit, non ge-
nere ac dignitate, quam ingenii, judicii, & eruditioñis ho-
nore major & clarior Vir Ill. de Montesquieu in excellenti,
& immortalitatem laturo opere, *De l'Esprit des Loix.* L. VIII.*

C. 2.

§. II. Nec minus frustra hanc imperii moderationem spe-
rare ausis ab his, qui suo sese jure, non toto populo aucto-
re, tenere imperium arbitrentur; qui ideo in supremo ho-
norum culmine repositi esse, & collocati sibi videntur, non,
ut eodem amoris, eodem benevolentiae affectu, quo liberos
parens, cives Imperantes prosequantur; non, ut spes, quas
in virtute ipsorum atque prudentia repositas habebant cives,
turpiter fallere ac destituere, summum censemant esse facinus;
non, ut semper aut conjungant, aut posthabent privatas pu-
blicis civitatis rationes: sed ut tanto impunius omne genus vitiis
indulgere valeant, quanto a poena altiori fastigio removen-
tur; sed ut tantum sibi decedere existiment potestatis & im-
perii, quantum libertatis civibus competit; sed ut tantum si-
bi sumat licentia libidinisque unus, quantum in soluta legi-
timi magistratum imperio civitate omnes & singuli sibi vin-
dican. Atque haec quidem calamitates eo acrius, eo vehe-
men-

mentius in civitatem irruere assolent, ubi parum prudenti consilio intemperans ex tribus istis, quas simplices vocare assuerunt, semel circumposita fuerit Reip. forma. *πᾶσα γὰς* (ut hic prudentissimi scriptoris, Dionysii Halic. verbis utar) *εἰς ὑβρίας ἀποτινάπτει καὶ παρανομάς, τέτων ἔκαστον τὸ πολιτευμάτων αὐτὸν καθ' ἐαυτῷ γενόμενον.* "Οταν δὲ ἀνακεραθῇ πόνος μετέλως, τὸ παρανύεν μέρος αὐτοῦ, καὶ ἀποβαῖνον ἐπὶ τὸ συνήθεον πόνον τὸ πολιτευμάτων, καὶ μέροντος ἐν τοῖς ιδίοις ἐδέστη πατείγεται. *Antiq. Rom. Lib. VI.*

Pag. 461.

§. III. Quæ cum ita sint, oportet omnino, hæc in quavis imperandi conditione vitia longe longeque ab illo civitatis genere, quod & pace sic regnetur, ut, cum boni qui-que cives magis præsentis status amore, quam legum suppli-ciorumque metu devineti, publicarum fortunarum commo-dum incrementumque pro virili intendant, tum vel pessimi & profligatissimi quique, non magis præsente imperii legumi-que vigore & reverentia, quam bonorum ad utrumque de-fendendum admirabili consensione, ab improbis molitioni-bus absterrantur; & bello ingruente ita geratur, ut non mo-do libertatem inter infesta undique hostium arma defendere, sed etiam imperii fines quaquaversum proferre, atque augere valeat. Atque hæc quidem, cum variis in imperiis pro varia imperandi atque parendi ratione, pro variis hominum con-ditionibus, proque variis carum causis, varie etiam vulgo volvantur, ego vero, ubi Remp. utraque hac felicitate per-pe-tuam, recta trutina expendo, non possum non opinari, hanc demum civitatem ad illum gloriæ potentiaeque apicem eniti posse, quæ in utroque, & constituendæ, & firmandæ Reip; latarum legum genere, & composita ad hanc normam morum innocentia præter alias emineat; in qua, dum virtutis bellicæ robur infestos hostes, vis imperii seditiones, vitæ pu-blicæ privatæque sanctitas harum spem, occasionem, atque in-tunabula coercet, haud alia de re sit inter cives certamen, tantum quis patriæ majora sit officia præstiturus, quis alterum in omni virtutum genere supereret.

§. IV. Quæ quidem omnia, cum Romanam Remp. his fui-

4 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

se fundamentis nixam & superstructam, qui varias ejusdem vices ex antiquitate retulere scriptores, nobis enarrent, quæ & futuram ei magnitudinem non vano omni pollicerentur, & per tot sæcula, ne regio quidem nomine jam abolito, apud posteros exolevisse reperiam, quin potius his unice subnixos in illud Majestatis ac potentiae culmen, in quo collatos postea attonitus orbis suspexit, escendisse, juvabit, opinor, dum Academicos in Jurisprudentia honores ambio, principis omnium populi primordia, ad primi illius juris, quo civitates constituuntur, muniuntur, reguntur, sociantur, origines revocata, pura & recenti luce perfundere; juvabit hac in civitate exemplum proponere in pace concordiae, in bello potentiae virtutisque, & quod caput est, in imperio libertatem, ad posteros illo comitante haud dubie transmittendam, nisi, quæ cuncta miscuit, cuncta perdidit, Tarquiniorum tyrranica libido, civitatem veluti cogendo, ut & jus, quo utili nesciebant, & effrenem illam licentiam ipsis adiungerent, una secum regnum in eam calamitatem provolvisset, unde nunquam, nisi per Cæsareum facinus potuit emergere.

§. V. Exponam itaque Romanæ civitatis originem, conditæque tum locum, tum tempus; deinde brevi conspectu res a Regibus gestas daturus; quæ, cum ex effectis, & operacionibus rerum natura omnium certissimam se conspicendi exhibeat, quo populus, quo reges ingenio fuerint, subindicabunt; quod cum in quamcunque partem fere trahat momentum, etiam, quæ Romanis, eorumque rectoribus, in constituenda, regendaque civitate propositi præcipua ratio constiterit, quibus usi fuerint, ut huc pertingerent, auxiliis mediisque, evidenti indicio coarguent.

§. VI. Et originem quidem regni, in re satis nota expondere copiosius, necessarium vix arbitror; interempto Amulio, Martigenas, ut ferunt, juvenes, de avi materni Numitoris sententia, consilium iniisse condendæ, quibus locis nutriti, quibus educati essent, urbis. Post, sive ad instaurandam, sive ad condendam Romam, comitante non magna manu profectos, (hanc etenim disceptationem, neque in prælens meam

DE REGNO ROMANO.

3

meam faciam, neque etiam multum, opinor, ad scopum nostrum refert) orta de conditore, de imperio, aucta dubiis auspiciis rixâ, commissoque certamine, cecidisse Rem. ita solum superstitem, & absque controversia victorem jam Romulum, repetitis ex Etruria religionibus auspicatum (teste *Plutarcho in Romulo* p. 23. testibus aliis) novæ urbi locum, sedemque finivisse, moenibusque firmatam, ædificiis etiam ad præsentem usum, & necessitatem, *Dion. Halicarn.* *Antiq. lib. I. p. m. 75. & lib. II. p. 78.* frequentavisse. Hoc itaque perfecto, cuius ergo ducem cum coloni adsciverant, opere, principatum deposuisse, novisque civibus liberum permisisse suffragium, de quacunque pro ipsorum arbitrio suscipienda Reipublicæ formâ, oratione prudentissimâ de avi materni sententia habita ad id dextre cogitateque perficiendum eos cohortatum, auctore *Dion. Halic. Lib. II. p. 78. seqq.* hos communicatis inter se consiliis responsum reddidisse; alia, quam regia, cui adsueti essent, reipublicæ forma opus non esse; arbitrari etenim se, & maiores suos, elibrata prudenter homines, hanc civitatis formam constituisse, & sese præterea, βασιλευόμενος τὰ μεγίστα πέποντος ἀγαθῶν, ἐλευθερίαντε, οὐ αὖτε ἀρχὴν, adeptos fuisse. quem quidem supremum, perpetuumque in civitate magistratum, præsenti rerum sua rum conditioni longe accommodatissimum arbitratos, ipsi Romulo detulisse, cum quod genere regio esset editus, tum præcipue, quod rebus ipsis essent edicti eum virtute, sapientia, prudentia, quam in deducendâ hac colonia sibi cum satis superque commonistravisse, cæteris omnibus longe longeque antecellere; Romulum autem gratiis actis, isthoc novi populi judicio dignum se fuisse habitum, qui novam civitatem imperio regeret, suscepturum se respondisse, si Dii addixissent; quibus auspicio rem firmantibus, advocata concione omnium consensu in Regem inauguratum fuisse; quemadmodum hæc omnia *Dion. Halic. I. c. p. 80. seqq.* copiose persequitur.

§. VII. Universam hanc fundandæ Reipublicæ Romanæ rationem si attento oculo perlustremus, apparebit exinde,

SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

nihil veritati magis esse consentaneum illis, quæ de duobus pactis, & primum subsequentे decreto, quod nonnullis etiam pacti nomine designare placet, in constituendis Civitatibus intervenientibus, sanciores Politici tradidere. in magnum locum, & cui non tactum? non excuro. Videantur, præter alios, qui ex his ipsis Reipublicæ Romanæ primordiis rem declaravit, demonstravitque *Illustris Heineccius in Elem. Jur. Nat. & Gent. Lib. II. §. 110.* & sqq. & ante eum *Pufendorfius Jur. Nat. & Gent. Lib. VII. cap. 2. §. 7 - 12.* ubi Hobbesii sententiam, quam deinceps alii ejusdem furfuris homines sunt secuti, exposuit, solideque refellit. jungi potest nobilis Britannicæ Libertatis Martyr a Carolo II. nascenti jam in Magna Britan-
nia tyrannidi immolatus A. 1683. *Algern. Sidnejus* in aureo Libro de *Gubernatione* cum passim, tum præcipue *Cap. 2. sect. 5, 6, & 7.* tum *Cap. 3. sect. 32.* ubi Filmeri, Hobbesii, & liorū plusquam verniles ineptias egregie confutat, libertatemque humani generis, in constituendis pro arbitrio Rerumpubl. formis, & quibuscumque ad magistratum gerendum habilibus, in id fastigium evehendis, invicte demon-
strat: quod ad regnum Romulo delatum attinet, *Dionysius ad. l. c. caussas.* quod genere regio esset editus. 11. quod virtutum splendore & copiâ reliquis omnibus antecelleret: atque illud quidem, quod primum adseritur, non erit sic intelligendum, quasi recens coalitus populus nihil hic effecerit aliud, quam ut Romulo, qui suo jam hæreditarioque jure imperium in se inhibere posset, dicens modo caussa regnum confirmaret, qualia sunt, quæ *Juris Principum*, quod ajunt, Divini, Passivæque Obedientiæ nefarii πρωτότοτι, impure bla-
terant; & dudum viri me longe doctiores ad Tartara abege-
runt. contrarium indicat a novis civibus habita liberrima con-
sultatio de constituenda Reipublicæ forma, tum quæ iidem ipsi in sequentibus apud laudatum scriptorem verbis adfirmant, industria ipsius sapientiaque potissimum se fuisse permotos, ut regnum ad ipsum deferrent, cum rationis sit, & moris, di-
gniori illud mandari; quibus cum accederent regia juvenis
stirps, & virtus, quarum hæc oppressum a Romulo Amulium,
illa

illa commoda ab ejus proavis accepta (quæ proxime memora-
yabant) sibi, Albanis praecipue, in memoriam revocarent, non
potuerint non in eandem de ejus imperio spem erigi; tum de-
nique, propter ea, quibus ipse Romulus gratias iis agit, quod
consentientibus & approbantibus cunctis, ipse regno potissi-
mum dignus habitus fuerit, non suum sanc jus jactantis, sed
alienum liquidissime agnoscentis verba.

§. VIII. Hæc civitatis incunabula. Cultorum originem quod
attinet, rem densis involutam tenebris, haud æque facile est,
explicare. Græciæ suæ passim favet Dionysius Halicarnassen-
sis, favet laudatus ipsi Antiochus Syracusanus, favent alii; alii
adversam aciem instruunt pro indigenis gentibus, Umbris &c.
videlicet. Rudbeck. in *Atlantica* suæ Scandinaviæ assignat: a-
lii aliter, de quibus, quæ Ryckius, aliquique commentati sunt,
possunt evolvi. Si majoris Catonis, si aliorum, qui ab antiquis
memorantur scriptoribus, Romanorum labores de Italarum re-
rum originibus existarent, certiora forte dari possent, quan-
quam ne hi quidem in ruspandis proprii sermonis nativis se-
dibus saepe sagaces harioli. Ego, qui brevi commentatione
diversa miscere non didici, pro hac vel illa sententia, colla-
tis ex antiquitate variarum gentium moribus, ritibusque aut
legibus, non militabo, ubi ipsa præsertim vetustas vix tenuem
lucis stricturam hac parte nobis ostentet. Si quid addendum
tamen, dicam, me quidem suspicari, quæ Latium, Sabinos,
Umbriam, Etruriam &c. tenuere antiquitus gentes, Celto
de sanguine plurimum trahere, quo ex genere tantum non
omnes, qui Romam conditum Romulum fuere sequuti,
originem duxere. Favet sacri cultus ratio, favet imperii for-
ma, favent variis ritus, moresque, ultimam, & Arctoam an-
tiquitatem spirantia omnia; quædam subinde tangam. Hic
ne justo sim verbosior, unice tantum videantur, quæ de Mar-
tis passim culto numine, de lacu Cutiliensi, de Tyrrhenorum
nomine, Panis cultu, sacris humanis &c. libro primo tradi-
dit post alios Dionysius, ut & vestigia veteris cultus diu pe-
nes ipsos etiam Romanos manentia, collatis egregiorum vi-
suum, sicut etiam in aliis, dumque cum secesserit bulli rorum
sunt.

8 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

rorum, Pezronii, Pellouterii, Keyzleri, Schedii, aliorumque laboribus, & si non, quod in tantâ caligine vix sperandum, lucem, ast aliquid luce patente minus saltem invenisse te fatebere, arbitror.

§. IX. Sedium, quas sibi princeps, nisi unicus post futurus in orbe populus, posuit, locum nemo ignorat, in agro, quem post Romanum vocari moris fuit, angustis finibus circumscripto, quem Tiberis fluvius, Albanus, Fidenas, aliorum populorum agri cingebant, paucis, ut sex forte septemve millibus in ambitum patentem. Dixit Sigon. de Antiquo jure P. R. lib. 1. cap. 2. pag. 22. seqq. solum olim haud inter præstantissima, pro parte etiam satis sterile, postmodo satis ferax; coelum ne nunc quidem bene audit, toto illo in tractu, quem hodie Campagna di Roma vocant. V. Miss. Itin. Tom. II. p. 121. & Illstr. Addison. in Observ. ad varia per Italiam loca, p. 240. nec non doctum Auctorem Libri de l'Esprit des Nations Lib. 1. Cap. 5. non tempero, quin locum Ciceronis ex Orat. II. in L. Agr. Cap. 35. egregie hoc facientem adscribam: *Romam in montibus positam, & convallisibus, coenaculis sublatam, atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, præ sua Capua, planissimo in loco explicata, ac præ illis semitis irridebunt, atque contemnent. Agros vero, Vaticanum, & Pupiniam, cum suis optimis atque uberibus campis conferendos scilicet non putabunt.* Sterile, æstuoſſimumque Pupiniae (quam Gabinum agrum attigisse, ex Liv. Lib. 26. Cap. 9. autumat Sigon. I. c.) solum exhibet Valer Max. Lib. 6. Cap. 8. pestilens idem Fest. b. v. & Colum. de Re Rust. I. 4. eidem Varro arbores prolixas, vites feraces, stramenta crasta negat; de Re Rust. Lib. 1. Cap. 9. pestilens, atque aridum circa urbem solum jacent seditionæ cohortes in Liv. Lib. 7. Cap. 38. jactante in eodem Lib. 5. Cap. 54. saluberrimos urbis colles, opportunum commeatibus flumen, opportunum mare, Camillo, quem tamen magis oratorie, quam ex vero, & cause in servientem hic loqui, ad priorem locum non inepte observat Cl. Clericus. Idem tamen Cap. 53. nihil Romuli aetate, prater silvas, paludesque, & h. l. fruges ex mediterraneis locis neceſſa.

DE REGNO ROMANO.

9

*cessario devehendas, & ex vero, admittit. a mari remota Urbs
xvi. fere millibus. Ostia enim ab Anco rege ad mare stru-
cta, Liv. Lib. 1. C. 33. tantundem ab Urbe aberat, Eutro-
pio Lib. 1. c. 4. testante; neque ullus præterea maris illo
quidem conditæ Urbis tempore usus, post haud amplissimus,
fidem firmante Dion. Halicarn. Lib. 3. p. 183. ovium ratiſſi-
ma, longo quoque tempore, copia; boum &c. præcipua,
unde nomen Italiam traxisse volunt, auctore Varrone ap.
Gell. Lib. 11. Cap. 1. addi potest idem de R. Rust. Lib. 2. c.
1. quod mulcta alicui dicenda sic fuit observatum, ut maxi-
ma duarum ovium esset, triginta boum, qua de re v. quæ
ad Dion. L. X. p. m. 674. depravatum haud dubie locum, ex
Festo in v. Multa, & Peculatus, aliisque, erudite disputavit
Sylburg: ove denis, bove centenis assibus æstimato; & hinc forte
fluere posset, primis illis temporibus ovem rem nec mancipi
fuisse; addubitante, & hærente paullisper Viro Illustri
Corn. van Bynkershoek de Rebus Mancipi, & nec Mancipi,
Cap. 7. p. 125. sq. postea enim, & gregis, opinor, jure, in
hunc censum devenerunt. Expedires hinc forte discrimen
furem inter, & abigeum, quod in l. 3. D. de Abig. colloca-
tur, abigeum, qui rem mancipi, furem, qui nec mancipi
rem subduceret, dicendo; illis, ut notum est, pretiosiori-
bus, quod & in rusticis, urbanisque prædiis valuit; nota ex
*Varr. de R. Rust. Lib. 2. Cap. 1. ratione.**

§. X. Tempus constitutæ Reipubl. quod attinet, Tituli,
quem præscripsi, memor, Chronologicis disceprationibus non
miscebör. Qui Catonem sequuntur, primo septimæ, qui
Varronem, tertio sextæ Olympiados anno Urbis originem
adsignant. Britannæ sive, Philosophiæque æternus honos,
ISAACUS NEWTONUS ad seriora cxxv fere annis tempo-
ra retrahit. Ego qui hic non tam urbis, quam civitatis ori-
ginem intendo, magis sollicitus sum de tempore solidatæ no-
væ imperii formæ. putares equidem, Liviana in L. I. 13. le-
gendo, curiis, in quas xxx. populum divisorat Romulus, a
raptis Sabinis virginibus data fuisse ab ipso nomina; equitum
centurias conscriptas, Ramnensium, Titienium, Lucerum
nomi-

10 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

nominibus insignes; cum præterea, teste *Lib. 2. p. 85. seqq.* *Dionysio*, huic divisioni senatus originem debeat, arbitrio Romuli, ante belli istius Sabinam tempestatem, cuncta fuisse administrata. Quid de hac P. R. in Tribus & Curias divisione, ejusque veris ut sic appellem, epochis, sentiam infra dicam *c.* 4. post *Cf. Boindini* hoc super argumento labores. Hic moneo, ordinis causa, novæ civitati formam jam circumdataam fuisse ante bellum Sabinum, vel ipso Livio teste. *L. 1. c. 8.* 7. centum Patrum concessum refert, judice *Dion. l. c. tribuum*, curiarumque suffragiis delectorum, quorum de consilio *c. 9.* missi a Romulo per vicinas gentes legati, connubia novis civibus petituri. Addo disertis verbis pronunciantem hac de re *Dionysium L. II. p. 83. sqq.* & *Plut. in Romulo p. 24.* prout etiam in priori *Lib. 2. p. 99.* raptum, quem virginum meditabatur, non nisi re cum senatu communica, illoque probante, orditur. Sic *it. p. 102.* acto triumpho primum omnium ad senatum retulit, captis Cæninensium. Antemnatumque urbibus quid faciendum censeret. Et *p. 110.* penes eundem Auctorem Sabinæ mulieres senatum aduent, veniam petituræ, pacis tentandæ gratia ad suos prodeundi, fitque in eam sententiam Sctum; quemadmodum & mox *p. 111.* centum senatores invenies curiarum suffragiis lectos, in veteremque numerum adscriptos. Hæc arbitrator, ad declarandam rei veritatem sufficient.

CAPUT SECUNDUM.

De Regum, Populique Rom. Ingenio.

§. I. **Q**uo tempore ortum Romanum sit Imperium, quo exstinctum, inter Chronologos parum convenire præced. cap. monere memini; de posteriori quidem epocha, quam Olymp. 68. assignant, fere convenit. Regii imperii tempora plurimum contrahit, ut initia depresso,

Magnus

DE REGNO ROMANO.

11

Magnus NEWTONUS *Chronol.* p. 128. cxix. annorum spatio illud præfiniens, quod non improbatum; ad stipulantur ap. *Liv.* Lib. 1. c. 40. Anci regis filii, in qua civitate post CEN-TESIMUM FERE ANNUM, quam Romulus — tenuerit regnum, donec in terris fuerit. adderes, mirum, Anci liberis, quinquagenariis senibus, si xxxviii. annos regnando Priscus expleverit, tum demum tentatam esse parricidio regni spem. Id vegetis, & acris ingenii adolescentibus magis fere, quam exacta jam maturitate viris opportunum; hoc quoque Superbi regis aetati finiendae aptius; neque hæc, quæ obmoveri possent, sola. qui enim, per Numam xlvi. annorum spatio civitate in otio retenta, bellator ille Romani populi spiritus ne deserbuerit, fieri potuit? Contrarium quotidiana fere experientia docet; his & illud addam, quod de Numæ uxore, liberisque *Plut.* in *Numa* p. 61. & p. 73. sqq. refert, licet ipse addat variare hac in re veterum sententias. Ancum Marcium ex filia Numæ nepotem ad regnum provectum fuisse tradunt omnes. auctor *Plut.* 1. c. Tatii Sabini, post Romani regis Tatiam filiam Numæ enupsisse, postque xiiii. in conjugio transactos annos decessiisse, communi filia Pompilia relicta, quam deinceps Marcio collocatam, quinquennem moriente avo Ancum, regem postea peperisse; quæ si vera sunt, ut videntur, jam quinquagenaria major famina Aneum enixa fuerit; hæc fabulis propiora; ipsum Tulli per duos & trigesima annos protractum regnum, nec ipsum variis difficultatibus exemptum; ne jam referam longa pace, convictuque parum coalitos, regnante Romulo, Sabinorum cum primis Romanis animos, auctore *Plut.* in *Numa* p. 60. D. & p. 71. C. quicquid hujus rei, quamcunque in ætatem reponere volueris Romani regni primordia, rude adhuc incultumque sæculum, vixque aut nondum composta legibus moribusque Græcia, tenuique admodum maris, commerciorumque, nisi solos inter Phœnices usu, suisque latenter finibus quemque populum, aliorum parum gnarum offendes, ignotas Tarquinio terras, ignoriora maria dante *Liv.* I. 56. Atque illud etiam universum verum est, eadem tem-

B 2

porum

12 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

porum caligine s^epius in vetusta h^ec inquirentem, ita p^ræpediri, ut quid amplecti, quid rejicere tutius sit, parum apparet. bis capta per Tuscos, & Gallos urbe, pleraque monumenta interierunt, ut indicat de posteriori clade differens Liv. *in princ. Lib. vi.* potuit etiam per priorem insignis facta esse mutatio, quam qui res Romanas postea conscripserunt, in gratiam su^a gentis dissimularunt; quique idcirco s^epius ex ingenio, aut partium quoque studio ducti, quam ex vero, sibique comperto, res enarrarunt. Sic, ut alia taceam, de Romæ sub regibus splendore & amplitudine ea quandoque referuntur a Dion. Liv. aliisque, quæ si ad liberam a re^gio imperio civitatem exigere volueris, parum congruent.

§. II. Parum humaniorem, et si acris ingenii principem, reperias Romulum, in quo ferociam, natura educatione & necessitate ingenitam, per hanc fuisse temperatam observes. atque, si modo vera sunt, quæ Dion. Lib. 11. p. 89. prodidit, jam tum majorem in modum, per arma tantum, aucta fuit res Romana, cum continuata belli & latrociniⁱ exercitia longe pugnaciores vicinis ut esse deberent, efficerent. Ut s^epc atroces procellæ, s^eviendo defessæ requiescunt, paullo post eo majori cum strage terribiles exsurrexerat, Romanos, consuetudine p^ræliorum jam latrones, & semibarbaros. *Eu-*
tropio Lib. 1. c. 2. testante, Numa suscepit. ingenium viri non omnes recte perpendisse videntur. vulgo fanaticum fere impostoremque nunciant, imbellemque, qui nescio quibus superstitionibus taetam mentem, desidiamque in civitateni, a qua in regem adscitus erat, transfundere cuperet. ego re accuratius perpensa, illud haud fuisse præcipuum Numæ consilium arbitror; sed suopte ingenio temperatum, pacis iustitiaeque amantem, & huic bellandi generi, quod Romulo duce lectata huc usque civitas fuerat, obliquum, quod illis ipsis ex rationibus, quas teste in ejus *Vita Plutarcho* p. 63. regno depellendo legatis oggeslit, perspicitur. Romam tamen delatum, plenam tum turbarum civitatem (vix enim est, ut Vir Maximus, excellentis Libri *des Causes de la Grandeur, & Decadence des Romains* Auctor Cap. 9. p. 66. pruden-
tissime

tissime observat, ut viri bello feroceſque, domi quieteſcant) & bellis efferatam ferme cum offendereſet, non ſuum ad ingenium cogendoſ, ſed deſtendendoſ, nec acrem illam, ardentemque Romanam virtutem, ut libertatem domi ſervaret, æquabilitatemque, ut in bello hostes propulſare & augere valeret imperium, extingueſtam, & civium ex animis penitus extirpandam, ſed ratione, iuſtitia, numinumque cultu temperandam, regendamque judicaviffe. Infra, ubi de Principum Rom. prudentia agam, ex iuſtituto plura in hanc ſententiam diſputabuntur, tota Numen imperandi ratione fidem firmante. Verbo dicam, cum ſuam indolem cum bellatore populo coommunicare ſe non poſſe cerneret, temperavit prudenter ingenium, imperandique rationem, idque ex ejus diſciplina profecere Romani, ut latrociniis rapiniſque, iuſtitiae relligionisque ſpeciem circumponerent, & ubi infelis ingrueret hostis, domi concordes eſſe addiſcerent. Putavere quidem finitimae gentes, Martios novi populi ſpiritus reſedisse tandem, & relligionis ope in perpetuum eſſe compositos; ſed non fuit illa quies, ſed vana quietis imago, brevi poſt, ampliori pabulo ſuffecta, in tempeſtatis perpeſuos horrores ſeſe expaſſura. Sic rudes adhuc maris Eoi, ductore Cabralio, Lufitanos, ferocem tempeſtatis impetum excipiente Malacia, conſpectum ignotum ſibi Typhonem mutuo cum gratularentur, foeda mox, illo ſubito detonante, calamitatis indagine involutos fluctus hauiſcre. *Itiner. Lufit. ad Indos Lib. I. cap. 5. p. 69.*

§. III. Atque haec uti jam caepit principe Tullo, ipſo quoque Romulo ferociore, quique, ut eſt apud Poëtam Aeneid. Lib. VI. l. 812, 13.

*Otia qui rumpet patria, refidesque movebit
Tullus in arma viros &c.*

insurgere, ita tamen (Albanos, & ne hos quidem aperto Marte victos, ſi excipias) parum cepit incrementi Roma- na civitas, aucta fere rei militaris ſcientia, cum antea duces pariter militesque, magis, prout fors tulerat, quam perpe-

14 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

tua, atque stabili ratione in bella ingredentur, bellandi circa hæc tempora consuetudinem indicante Dion. *Lib. III. p. 178.* regnum cætera prosperum egregiumque, nisi religionibus, aut neglectis, aut prave cultis, ap. Liv. *Lib. I.c. 32.* desidiam, & ex superstitione imbelliam in Numa redargere solito Tullo, ap. Plut. *in Vita Numa in f.* successorem habuit Ancum, qui medio Romuli, & Numæ ingenio, & religione, necessarium Romanæ civitatis adminiculum, instauravit, & pace præcipue regnum augere conatus, ad bella adactus fuit, cum vicinos, qui Romuli consilia Tullum Hostilium secutum esse vidissent, idemque sibi periculum ab Anco, aut secuturo rege imminentre putarent, infestiores experiretur; nec gesit tamen, nisi pacis gratia, TULLO disimilis; sicuti peregrinas oras lucri cupidine adeuntes nautæ, alter e portu ipso procellosos jam fluctus invehit, alterum patulo jam mari tempestas lacescit. Rationes, cur suo tempore pacem præoptaverit Ancus, ne longus sim, dabit Dion. *Lib. III. p. 179.* deflecente Prisco Tarquinio, quo principe caput amplius efferre cœpit Romana civitas, Sabinis, Latinis, Etruscisque omnibus prorsus perdomitis, unde eo tempore vix arbitrer fuisse in Italia civitatem, quæ potentiae ratione cum ipsa componi posset, neque minus tamen novis legibus habebat opus, quæ crescenti jam magnitudini ut ferendæ par esse posset, efficerent, quæ eandem de integro veluti fundarent.

§. IV. Atque id quidem a Ser. Tullio fuit prorsus egregie præstitum; qui (velut tenuæ æsculeæ arboris semen, quod ab avibus aliquando raptum, atque fertilem in agrum forte demissum, post justa quercus trunco, & frondibus silvam obumbrat) in insima conditione natus, post regis Prisci Tarquinii cædem in regnum furtim illapsus, ita, *& consiliis magis, quam armis* (ut de eo prædicat Liv. *Lib. I.c. 25.*) auxit Rem publicam, ut merito pro præstantissimo inter omnes principe sit reputandus. videbat ille, ut tum res erant, sèpius ab insima plebe posse impetrari, quæ vel ipsi reip. essent damnosa, dummodo blanda specie prætexerentur. videbat præterea, Li-

ber-

bertatem, qua cuncti ciues gaudebant, & simul, non in singulos diffundi, sed oberratos a creditoribus in vincula compingi, aut verberibus etiam lacerari; morbi quoque illius, qui postea toties, & tam atrociter civitatem convulsit, semina jam tum adolefcere, cum divites & contemtius, quam par erat, plebem habarent, & majorem agri modum, quam Romuli lege concessum erat, ad se traherent. Hæc tantum stringo, pluribus infra dicturus. Addas & hæc, incerta plebis, adversa Partium voluntate a principio usum fuisse regem, qui cum in discrimine versaretur, haberetque in animo Timocratica, ut sic dicam, forma civitatem componere, consultissimum judicavit nomine popularem agere, quum hæc, quæ in rep. innovare constitisset, facilius per populum quam per Senatum adsequuturus sibi videretur; quo patet non poterat non, quin varia Patriciis ingratissima fierent, quæ tamen in publicum eorum commodum erant redundatura; hoc enim ingenio fuisse, hoc proposito stetisse videtur, ut publice optimatium esset præcipua potestas; carveretur tamen, ne iidem possent tenuioribus pro arbitrio graves esse; atque inde mirum non erat, cum hac parte fatis artis vinculis constringerentur, plerosque ei per totum regni tempus infestiores fuisse; plebe vero, cui multorum in speciem commodorum auctor fuerat, addictissima semper usum. Atque hoc in illo principe præcipue admirere, quod, dum plerique alii reges, de privata tantum utilitate solliciti, publicæ minus sunt memores, hic neque gratiâ, neque odiis etiam & invidia, quorum potentiae expedientæ plurimum incumbebat, neque etiam amplioris auctoritatis cupidine, cum aliis, tum regibus præcipue veluti ingenitâ, deflecti se siverit ab eâ mente, atque sententiâ, quam & Libertati & Magnitudini confirmandæ solam expedire perspicerat, initio etiam, ut *Dion. Lib. IV, p. 243.* & *Liv. Lib. I. cap. 48.* referunt, ponendi, tollendique e republ. regni consilio, quod in mentem venisse, & Regi quidem, vix credas, nisi reliqua in hoc imperii ratio fidem firmaret.

§. V. Quod ne fieret, obstitit immane Superbi Tarquinii faci-

16 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE.

facinus, qui pestilentissima simul, & absurdissima, in principibus familiis, hæreditarii juris opinione in scelestam ambitionem, atque superbiam impulsus, optimum, atque sanctissimum senem cum trucidari curasset, vi regnum invasit, ut hoc ultimum per scelus parto, per scelus retento, eo gratior civibus repetita Libertas accideret. Hoc enim regnante nulla jam justi imperii species, cum civitatis primores fictis criminiibus alios opprimeret, alios bonis spoliatos in exsiliū ejiceret, plebem operibus attereret, cuncta pro lubitu mutaret, constitueret, ageret, ferret, dum nullius earum rerum, quas publicam in utilitatem priores reges intenderant, nisi in quantum sibi expediret, curam gereret; tentata servitutis patientia, prope erat, ut quondam futurus ille populum omnium victor Romanus in angusto, & tenui regno animos demitteret, & aut circumpositis, atque bello fortissimis gentibus aliquando in prædam esset cessurus, aut saltem in adstrictiori unius imperio infeliciori vicinis fortuna inglorius, pressusque degeret, sed, ut breviter, & eleganter Vir summus de l'Esprit des Loix Lib. XI. cap. 12. omnem senatus pariter populique potestatem in suam traxisset; at brevi temporis momento memore legislatoriæ potestatis populo, nullus fuit Tarquinius. Ingenium in tyranno haud sane contemendum eleganter idem Vir Magnus, quem modo laudavi, in Libro des causes de la Grandeur, & Decadence des Romains Cap. 1. p. 3. sq. egregie pinxit, ut plura addere necessarium amplius non videatur.

§. VI. An

Mobile mutetur semper cum principe vulgus.

ut Claudian. de IV. Honorii Consulatu, Reip. Romanæ exemplo breviter videamus. Cum Romulo statim qui ad condendam urbem adfuere, Dion. Lib. I. p. 72. describit; optimates ex Albanis præcipue modico numero; cæteri magna pars plebeiorum, novis ferme rebus studentium, nec a mi-
grandi consilio abhorrentium, permittente Numitore (capi-
talem

talem enim hunc & primarium finem, qui coloniam aliquorum mittunt, summi Imperantes intendunt τὸ μιαρὸν καὶ οἰκιστὴν φύλον ἐκβαλόντες ἐπὶ πόλεως, ἐνπρεπὲς δύομιν τῷ περιγράφεις, αὐτοκίαν, teste Dion. Lib. IV. p. 228.) delato paullo post ad Romulum regno, ipse, Liv. 1. 8. Dion. Lib. 2. pag. 88. Aur. Vict. de Vir. Illistr. c. 2. aliisque testibus, asylum paterfecit, quo sine discrimine omne genus, servi, pastores, obærati, & similes alii perfugere possent; quodque prudenter ab ipso inventum, alii deinceps reges tenuere, & Tullo regi a Metio Fufetio exprobratur ap. Dion. Lib. 3. p. 146. quo scunque sine discrimine advenas in civitatem recipiendi, viatisque etiam hostibus eandem concedendi. hoc itaque in unam societatem coadunatum genus, qua vivendi ratione uti fuerit solitum, graphicè pinxit Poëta ex Numani persona, Aeneid. Lib. IX. v. 603. sqq. & simul originis Celticæ reliquias monstravit; aquis recens natos exponendo, rapto vivendo, & quæ similia; ubi itaque observandum est, homines colluviem pastorum, servorumque, quique nihil, nisi ut rus colerent, & prædas agerent, essent edociti, in illam, quam supra descripsi, regionem delatos, non aliis quoque studiis vacare potuisse, quam his, ad vitam sustentandam, quemadmodum haec unica injunxit illis Romulum auctor est Dion. Lib. 2. p. 98. mercaturæ enim, & quæ hanc sequuntur, officiis parum potuisse vacare, tenui ut plurimum flumine, ex Liv. Lib. 2. c. 5. nec adito huc dum mari, patet. qui præreca inter infestos circa populos parvo agri limite confederant, debebant omnino, ut fruges, quibus akerentur, suppeterent, multo gravique labore ingratiora rura subigere, & his defici- entibus rapto vivere, & latrocinii, quorum ipse in juven- tute Romulus exemplum imbuerat, Eutrop. princ. I. 1. alii- que, conf. quæ Dion. I. c. & veterem belli gerendi morem his in tractibus ab eodem descriptum lib. IIII. pag. 175. atque hoc in causa fuit, cur apud Romanos semper tanto in hono- re res rustica fuerit, quia a rusticis in pace akerentur, bello horum virtute tuti essent, auctore Varrone de Re Rust. lib. 3.

18 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

c. i. hocque primævum Romanis ingenium, & natura, & necessitate instillatum, effecit, ut desidiam omnes semper aversarentur, ita, ut urbanæ vitæ ingloria esset ratio, teste iterum eodem *Varrone de R. R. L.* 2. C. i. originis indicio, *infesta quieti gente, in Tac. de Mor. Germ.* quosrum referas, assiduis venatibus exerceri suertos Romanos in *Virg. d. l.* & *Colum. de Re Rust.* l. i. c. i. p. 389. cum illis, qui *quoties bella non ineunt, multum venatibus tribuant*, eodem *Tac. d. l.* & *Cas. de B. Gall. Lib. vi.* auctoribvs, ut mirer, unde sua hau- scrit doctissimus Auctor Libri haud ita pridem in vulgus editi, *de l'Esprit des Nations Lib. 2. c. 6. pag. 117.* cum venationi Romanos induluisse negat, ingenii quippe sui indoli haud congruenti, gravitatem, quam vocat, ubique præferentis.

§. X. Acre populi Romani ingenium, quodque, ut rex Tullus ipse fatetur in *Dion. Lib. 3. p. 148.* foris quietum, domesticis certaminibus collideretur, ad lubitum fere promptum, paratumque Reges habuere. Necesitate expressim, post ferocia concitavit, ut jam totius orbis imperium, quo post evasit, intendere disceret. Non sanc mirandum, si a principe ad bella concitarentur, promptos alacresque convolasse feroces viros, quibus pigrum videretur, quin iners, sudore acquirere, quod sanguine parare possis; in *Tac. de Mor. Germ.* illud præcipuum admirere, qui vix dum compositi imperante Numa pacem, florentes rerum successu Tarquiniam tyrannidem ferre potuere? ad regum, prætenta quidem libertatis imagine, sed arbitrium tamen, caussam revocat *Ill. Puffendorf. de Forma Reip. Rom.* §. 4. ego non magis hinc Regum merum imperium evinci posse arbitror, quam consulum, senatusque, liberæ Reip. temporibus. Rem confecit *Vir. Ill. de Montesquieu, des causes de la Grandeur des Romains, & de leur Decadence, Cap. 1. pag. 4. seq.* & adde *Dion. Halicarn. Lib. XI. pag. 659.* Numæ quod fuerit ingenium, b. c. §. 3. indicavi, rem breviter explicante *Aur. Vict. de Vir. Illustr. c. 3.* sacra constituisse Numam, ut populum ferum religione molliret. Non mirum, inter barbaros populos plurimum semper sacerdotibus auctoritatis potestatisque competere; olim penes Germanos.

nos & Gallos in judiciis, conciliis popularibus, bello quoque gerendo quanta fuerint Druides auctoritate, notum est. Hi cum ab ipsa mutuantur religione, tum a superstitione mentium tali in gente habitu; id hodieque penes vere barbaros, in America præcipue, observare licet. Ubi Floridensium mores in *Franc. Corealii Itiner. per Americam. Cap. 2. pag. 33-40.* inspexeris, arbitrere Germanos, quales Tacitus exhibet, te cernere. Majus adhuc accessit momentum, religionem Numa ad populi ingenium quadantenus attemperante. Illa cœlo lapsa ancilia, Saliorum militaris pompa, ille Vestalis ignis, sacrum imperii pignus, Marti Quirinoque sacrati flamines; arbitri pacis bellique rituum feiales; omnes bello principes in civitate viri, iidem sacri antistites, mollem quieto regno, faventemque induciis, ut ita dicam, populum facile habuere.

§. XI. Alia caussa est, tolerata tamdiu sub Tarquinio tyrannde. plebes militesque deliniti, prout hâc princeps ad herile imperium iter semper fuit, eritque; aut bellis, aut operibus publicis distenti, ne consilia sociare possent immanitatis frangendæ gratia cives; sarellibus obseptum tyranni corpus; senatus, magna pars, aut interfectus, aut in exsilium ejectus, fortunis privatus, subjectis, qui assentando unice nefariis imperiis legum, & juris auctoritatem circumponerent: coetus omnes, a prioribus principibus instituti, libertatis memoria, & signum, a tyranno prorsus sublati; delatores, præsenti semper nunciatorum fide, introducti, qui singulorum animos perterrendo, junctos omnium a tyrannorum capite summovent. Liber enim populus metu, vi coactus, oppressus, jugum ad tempus tolerare potest. Servili qui sunt ingenio, lubentes nullo discrimine subeunt, quietique.

§. XII. Atque minus quoque illud est mirum, cum invadere potuisse imperium in libera quidem civitate, sed quæ tamen unius urbis mœnibus contineretur; hic enim minori fere negotio, & majori silentio, quam ampliori in imperio, novarum rerum consilia iniri possunt. attramen, sicut attonitis Romanis in regnum irruperat, haud perpetuum tamen illud in gen-

20 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

rem suam potuisset inferre, cum minori annorum spatio; quam vulgo ejus regno adsignant, res jam ad defectionem spectarent, occasionem tantum maturandæ Libertatis suppeditante indigno Lucretiæ casu, uti testis est Dion. Lib. IV. p. 261. cui jungi possunt, quæ disseruit Vir Ill. de Montesquieu *des Causes de la Grandeur des Romains, & de leur Decadence*, c. I. p. 3. obviis rationibus.

C A P U T T E R T I U M.

De fine civitatis Romana.

§. I. **U**t augustum hoc universi orbis theatrum non forte, sed ut sapientissimo fini operam commoda ret, a Supremo Moderatore conditum est; ut non optimus modo quisque, sed etiam depravatori indole homines certo alicui constantique proposito actiones suas attemperant; civitatum, quod inter homines est momentosissimum, originem non sorti incertæ alicui, sed elibratis prudentibusque consiliis deberi, apud omnes constare, arbitror. Libertatis Naturalis, quæ constituendarum civitatum *causam impulsivam* vulgo adpellant, incommoda hic non exsequar. Qui in societatem rectoriam coeundo, personam, quam vocant, *moralém* semel efformavere, cum commune cujusque societatis objectum, libertatis, vitæ, fortunarum communium conservationem intendere solent, tum etiam, huic quod ancilletur, quod promoveat, quod adaugeat, privum quiddam, diversumque a reliquis propositum sibi ferme præfiniunt. alii, ut militari virtute vicinis sint formidandi, ut quoscunque, qui civitatem infestis animis aggredi audcant, a jugulo suo removere possint, viresque eorum perfringere; alii, ut commerciorum frequentia, ut maris usu assiduo, opibus aucti, potentiam, ut ita dicam, mercari queant. alii Libertatem, foecundam horum omnium matrem, unice appetunt; alii, ut in

in alios circumquaque populos imperium inhiberē possint, summa vi adnituntur; alii alia meditantur.

§. II. Romana res, fato quodam coorta, prima insignem rerum vicissitudinem, conversionemque in Europa p̄pperit, dum inter arma nata, ad arma necessitate proiecta, armis aucta, nil nisi arma Martemque spirans, latis imperii finibus inhians, magnitudine sua ron vicinos modo, sed ad ultimum, & longinquos quosque maxime populos, in quantum tunc perspectu orbis spatia fere patebant, involvit. *Libertatem, & Imperium in alios, præcipua inter homines bona, curæ sibi esse; nihil aliud; in re tenui, erecti tamen animi homines novi Romani, apud Dion. Halic. Lib. 2. p. 80. jactant. finis erat Libertatis solus atque unus Romano nomini, Imperii Magnitudo; quod hinc speraret commodum, in domestica libertate aliena servitus.*

§. III. Quum autem, quem sibi præcipuum præ reliquis assequendum finem civitas ob oculos ponit, aliquando & regionis, quam sedem sibi semel delegit, natura definiatur; neque hac tantum, sed & cum populi, tum ejusdem rectorum indoli atque ingenio s̄epius debeat, in caussam ejusdem, rationemque a me descensum esse existimabo, ubi singularum qualis fuerit conditio, patefecero. quod cum a me superiori præcipue Capite effecdum jam esse opiner, illud arbitror esse, quod adjiciatur, quibus præterea rationibus permoti fuerint, hoc perpetua atque stabili contentione ut persequerentur; quibus innixi mediis huc pertingere potuerint. Necesse adactos, tum proprio ingeniiorum habitu incitatos fuisse Romanos, hunc suæ ut civitati primarium finem proponerent, constat. angusto, & ad hanc quæ jam initio confluxerat, multitudinem alendam inhabili solo clausi, rudibus ad commercia, ad artes seculis, rudio-ribus ingeniis, connubiis destituti, latrociniis plerique adsueti, si non justa, necessaria tamen bella jam inde ab initio cum finitimis contrahere, & suscipere debuere, consuetudinem indicante Dionysio Lib. III. pag. 175. ἐμβαλόντες τὸν αἰδηλὸν γῆν ὑπὸ τὴν αἱρήν τὰς σίτες, καὶ πορφύραντες, ἀπῆγον

22 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

ἀπῆγον ἐπὶ ὅμων τὰς δυνάμεις, διαμετρόμενοι τὰς αἰχμαλώτες. *raptæ fine more Sabina*, ut est apud Poëtam, bella ex bellis statim severæ, unde haud immerito apud *Plut.* p. 63. Numa. multa Romanis bella invitum fortasse Romulum reliquisse; ad ea sustinenda duce potius bellatore opus esse, quam rege. Continuo usu assuetum armis populum, & rebus secundis alacrem, ea ipsa de caussa ad majora properare, & semel imperii dulcedine captum, alios atque alios sibi subjicere conari. Qui Romanum agrum cingebant undique populi, & ipsi ingenio pariter, atque usu ad bella alacres, ut mirum nemini esse debeat, semel bello adstrictis Romanis deinceps bella ex bellis fuisse serenda.

§. IV. Ut vero Romulo imperante, cum recens condita esset civitas, prorsus hæc instituti ratio erat necessaria, ita prudentiæ fuit, imperante Numa, eandem magis temperari, cum religionibus rite constitutis, tum agrorum ad cultum applicandis civibus, magis quam antea factum fuerat; ut esset, unde se commode alerent; semper enim, & perpetuo ut ex vicinis prædas agerent, non minus regni fini adversabatur, quam perpetua tranquillitas, qua ne marcescerent bellatores animi, effectum fuit a Tullo Hostilio, cuius, eique successoris Anci, eadem ferme in imperando rationes & caußæ, ac Romulo, & Numæ fuere; cum ab Anco ea arte regnum fuerit firmatum, atque administratum, Romuli, & Numæ instituta simul temperando, ut ansam daret Prisco Tarquinio, insigni potentiaæ accessione civitatem augendi, cum jam magis, magisque continua bella ejus conditio posceret, quæ ut recte possent, & cum successu geri, Servius, suo tempore parta tantum defendisse contentus, effecit, cum civibus in ordines egregio invento distributis, perpetuo, & certum militem, & belli gerendi nervum, pecuniam civitati confirmaret. atque probabile est, propiorem statim legum ejus utilitatem ut sensissent Romani, futurum fuisse, nisi mox mutatus, senviente Tarquinio, rerum status, & post illum ejectum afflictæ Etrusco bello fortunæ prohibuissent.

§. V. Quæ propria sapientiæ laus, quod indicium est, ubi se.

femel propositum implendum defixeris , apta maxime huic ex-sequendo legere media , aut omnia me fallunt , aut hoc ipsum egregie præstiterunt Romani , augenda majorem in modum potentia , imperioque . & necessariam hac quidem parte virtutem , armorumque peritiam , tamen si paucorum admodum sint , haud multum , contra prævalidos præsertim , sui usum præstare , numero corroborari ; hunc vitandæ confusioneis , defigendæ voluntatis causa , ita ordinandum , ita devinciendum esse , ut singuli singulis concordes , non nisi de amore reipublicæ certent , certi , pro hac dum decertant , pro suis simul se decertare fortunis ; has ut perpetuas sese stabilesque tenere persuasi sunt , dum alienam oppugnatum eunt libertatem , sibi domestica opus esse ; hanc neque aliter impetrari , nisi variis summi imperii partibus recte mixtis , ac temperatis , quæ ne continuo in se mutuo incurvant ; ne dum foris res prospere geritur , domi cuncta jurgiis , & litibus ardeant , præsenti legum vigore , in corrupta morum innocentia , & quod caput est , rectoribus , qui cum exemplo , tum certa atque prudenti imperandi ratione , omnibus & singulis hisce adfint , robur addant , conservent , opus esse , in confessio est . quæ omnia ut ad propositum applicemus , primum omnium columen & fundamentum Romanæ magnitudinis , Libertatem nos collustrare oportet , prout ad perpetuam hanc in Rep. tenendam civitati forma est circumposita , quod ipsum alia ratione cum obtineri non posse videatur , quam si variae potestatis species recte misceantur , temperenturque , hæc autem varios civium , diversosque ordines præsupponant ; huic etiam rem Romanam discrimini superstructam fuisse cum referant , & de his quædam præfari visum fuit .

C. A.

CAPUT QUARTUM.

De Ordinibus Populi Romani.

§. I. Non immerito affirmat, qui saepe mihi ad partes vocandus est, vir summus, des Causes de la Grandeur des Romains, & de leur Decadence, cap. IIII. p. 17. quos æqua sorte civibus divisorat Romulus, agros fuisse, qui Rom. Imperio vires sufficerent, quibus suffultum statim a primordiis ad majora eniteretur. æquatis fortunis minor stimulat invidia, æquales in patriam omnes amore feruntur; si vis ingruat, jam cives universi, mox milites, quos privatae fortuna, quos communis respublica, quos denique libertas ea, quæ dulcissima est, ad salutem patriæ defendendam excitavit. ut Cic. in Catil. IV. 8. agrum, qui Romanus post est vocatus, haud amplis porrectum spatiis, ut supra monere memini, a Romulo in tres partes fuisse divisum, docet Dion. Halic. Lib. II. p. 82. docent alii. prima pars in sacros usus fuit servata; altera, ut Dion. loquitur, τῷ κοινῷ, sive construendis publice ædificiis, sive Rex ut redditus inde perciperet, sumitusque in publica curiarum &c. sacra fierent, ut conjicere liceat ob Arist. de Rep. I. 7. c. 10. (bello partum a Romulo agrum, Numæ transmissum v. ap. eund. Lib. III. p. 137.) sive in utrumque usum, tertiam, camque longe amplissimam, sic disperitus est, ut hac in xxx æquales partes, populoque in tres Tribus, hancumque singulis in decem iterum curias divisis, sortiri juberet, quam quæque partem sibi esset habitura; & deinde, etiam sortis, opinor, ope, curialium singulis bina agri iugera adsignavit; Plin. Hist. Natur. L. XVIII. c. 2. Varr. de Re Rust. Lib. I. C. 10. de L. Lat. L. 4. c. 4 Festo in v. Centuriatus ager, aliisque fidem firmantibus, id non prudens magis consilium, quam necessarium, in feroci, atque agresti genere facile rebus novis discordia dissipandis, ut bene Liv. princ. L. II. si gratiæ, si ambitioni surgente in Republica fuisset locus.

§. II.

§. II. Jam ego hic, si de Tribubus, de Curiis, de Centuriis agere vellem oratione prolixâ, æmularer pictorem, qui, dum minima quæque anxie exsequendo, nimis liberali penicillo diem spargit, præcipuis officiat. Itaque hic post Sigonios, Panvinios, Boindinos; alios egregié hic de antiquitate meritos, vela contraham, nec multus hic exsequar Tribus a Romulo, cum recens conditâ civitate; tum post bellum Sabinum constitutas; non easdem a Numâ, inventis artificum collegiis, & sodalitiis, definitis conventibus, communî sacrorum religione firmandis, labefactatas; aut a Ser. Tullio arte e Rep. sublatas, hoc Urbanas i. v. Rusticas forte xxvi. aut xxxi. in earum locum succedere jubente; dum Romuleæ *yennæ* ad præsentem magis necessitatem, Servianæ *τοτηναι* ad arcendam odiorum, & invidiæ labem fuerint comparatae; neque Curiarum, publica privatâque saerorum communione devinctarum, suffragia, consilii publici principium, potestatis legitimæ fontem, legum robur; neque etiam sub populari civitatis imagine centuriatum Optimatum regimen, censumque, reputandis in Rom. civibus actatis, naturaeque, & fortunac bonis totius orbis opes in se trahentem, exorrecto conspectu pandere aggrediar. Et quantum ad hæc quidem attinet, civitatis naturam plus minusve desigentia, quadam subinde recurrent. Hic illa dicam, quibus fundamenti loco varia hominum genera, in omni civitate semper obvia, apte discreta fuerint.

§. III. In *Patricios*, & *Plebeios* novos cives omnes a Romulo fuisse discretos reperio, discriminis originem ab Atheniensium Republ. repetente Dion. Halic. Lib. II. p. 83. frustra opinor, si vera sunt, quæ c. 2. §. 1. dixi. ego magis arbitrer, hanc natale solum spirare, a Græcâ nobilitate longe diversam. Cum autem in omni civitate, qui genere, qui virtute, qui opibus excellant, quibus neutra contigerint, reperiantur, prudenter Romulus τες ἐπιφανεῖς Φύγεται, οὐ δι' αἵρετην ἐπαινεύεται, καὶ χείμασιν, ὡς εἰ τοῖς τοτε καιροῖς, εὐπόρεις, οἷς ἥδη παιδεῖς γένονται, διάεισεν απὸ τῆς ασήμαντης, καὶ ταπεινῶν, καὶ απόρων. Dion. I. c. hos Plebeios vocavit, illos Patricios; εἴτε δῆλον τὸ πρεσβεῖον ἡλικίᾳ τῆς λαν-

26 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

Λαον, ἔτι δὲ παιδες αὐτοις ἥσταν, εἶτε δέ τις ἐπιφύλειαν τὸ γένες, εἶτε
 δέ τις πάντα ταῦτα; ut est apud eundem *I. c.* gloriante Tullo Re-
 ge *L. III. p. 148.* Romanum nobilem virtute sola censeri. Isi-
 dorum *Orig. L. IX. c. 4.* Romanos a Romulo in senatores, mi-
 lites, & plebeios descriptos fuisse autumantem ex male intel-
 lecto Plut. *in Rom. p. 24.* D. loco sua haussisse, opinor, nisi ta-
 men ipse, qui Gothos vidit, militem equitemque eosdem
 habuerit. qui diversas v. hujus etymologias avet, præter *Dod.*
Voss. in Etym. h. v. Fest. Aur. Vict. de Vir. Ill. c. 2. Eutrop. princ.
L. I. Plut. d. I. Flor. L. I. c. I. n. 15. aliosque adeat. Liv. *L. I.*
c. 8. centum creat senatores — Patres certe ab honore, patricii-
que eorum progenies appellata. in eodem *Lib. 10. cap. 8.* En un-
 quam fando audistis, patricios primo esse factos, non de cælo demis-
 sos, sed qui patrem ciere possent (h. e. nihil ultra, quam inge-
 nuos) *Consulem jam patrem ciere possum, avumque jam poteris*
filius. P. Decius Mus, Ogulniam pro communicandis cum ple-
 be sacerdotiis suadens. unde consequitur, plebeios, simul ac
 quo patre, qua matre prognati essent, indicare potuerint,
 ingenuos esse, gentemque habere coepisse. conf. quæ ap. eund.
Lib. 6. c. 40. Ap. Claud. Crassus orat. *in Tribunos.* quod ad eos at-
 tinet, qui natalium favori dignitatem hanc non debebant, dis-
 ceptatum est inter Viros doctos, aliis affirmantibus a rege, aliis,
 a populo lectos fuisse. mihi, ut quam brevissime possim, litem
 dirimam, distinguenda esse tempora videntur a populo, ro-
 gante Romulo, creatos senatores, planum est, apertumque
 ejusdem suffragia intervenire debuisse omnino arbitror, reci-
 piendis in senatum Sabinis. post a Regibus senatores pro arbi-
 trio fere fuisse lectos, quod ostendit elegantis ingenii scriptor,
 Abbas d'Auber de Vertot *in Respons. ad Illustrum Stanhopium,*
Hist. Revolut. R. R. Vol. III. ad Calcem subjecta p. 399. sqq. (licet
 forte Populi etiam aut Senatus consensus accedere debuerit)
 Patriciorum in ordinem ut quis cooptaretur, ut senatus po-
 pulusque illud suffragiis sciscerent, quod exemplis Tarquinii
 Prisci, Serviique Tullii, & paucis post Reges ejectos annis,
 Ap. Claudii, *in Dion. lib. IV. p. 208. & V. p. 308.* appetet:

v. quæ dixit in adversam tamen fere sententiam Doct. Vertot l. c.

§. IV. Patriciorum amplissimos in Rep. antiquiori præser-
tim, honores, exponit Dion. lib. II p. 83. ut nempe sacro-
rum cura, in quibus præcipuum jus auspiciorum, quod diu-
tissime retinuere, magistratum gestio, jurisdictio, reipubli-
cæ administratio (antiquitus enim, nonnisi hoc ex ordine se-
natores legi potuisse, certum; atque hinc, ut plebejus in se-
natum admitti posset, necesum primo erat eum inter Patri-
cios cooptari, uti ex adductis exemplis, aliisque, constat.)
non tamen idcirco quicunque Patricii erant, eo ipso Senato-
res erant; sed certus tantummodo, primus C. post B. Sab. du-
cenarius, post conscriptos in senatum a Prisco rege minorum
gentium Patres, ccc. numerus; cessante hereditaria successi-
one, quemadmodum in Hollandia, in Trajectina civitate, qui
nobilitate natalium fulgent, non tamen Equestris, aut Electo
Ordini suo jure assident; ut hic merito ap. Dion. Halicar-
nass. L. III. p. 148. Tuilius glorietur, non alia, quam virtu-
tute, prudentiaque Romæ ad honores viam patere. Et hæc ante
tempora Servii regis. tum enim, ut notum est, centu insti-
tuto, & hic in legendis senatoribus postea cœpit spectari, ut
tandem etiam, qui censum minuisset, ordine moveretur, qui-
que, patricius licet, nec senatorium, nec equestrem haberet
censum, in populo sive plebe reputaretur. V. quæ Sigon. de
Ant. Jure Pop. Rom. L. 1. c. 7. Vertot. Diff. cit. in fin. alii-
que de his differuere.

§. V. Alter ordo, quem Romulus definivit, Plebeios com-
plexus est. notæ variæ, differentesque significationes, huic
voci conciliatæ. fatis dura quidem hi conditione erant (sunt
autem cuncti, qui in patricios relati non fuere, post Servium,
quibus equester non erat census.) in ipso Regno, quum om-
nibus omnino honoribus in Patriciorum manus permisisse,
ipsi ad nullum eminens decus ascendere poterant. Hinc
reliqua quæ ad vitam sustentandam, ad civitatem alendam
pertinerent, his attributa fuere. γεωγεῖν καὶ κτηνοτροφεῖν, καὶ τὰς

28 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

χειριστοπαιδείας ἐγγάλεος θατού τέχνας. ap. Dion. l. II. p. 83. ubi male in-
terpres Latinus κτηνοτροφῶν vertit, *pecora pascere*, quorum quæ
tum fuerit inopia c. 1. §. 9. ostendi. κτηνοτροφῶν hic est *armen-*
ta pascere, uti discimus ex Plut. in *Poplic.* p. 103. ubi κτηνοτροφῶν
Φλαῦ προβατεῖαιis opponuntur. Plura de plebeiis, deque jure ci-
vitatem, suffragia &c. consequendi (quod senatus fere, popu-
lique ad arbitrium pertinuisse, ex Dion. præcipue discess) ne-
dicam, Sigonii de *Ant. Jure P. R.* duobus prioribus præcipue
libris, Boindini in *Memor. Litt. Acad. Reg. Paris. T. V. p. 140.*
seqq. Heinecc. in *App. ad l. I. Antiq. Rom.* aliorumque præ-
clari labores occupavere.

§. VI. Atque hoc quidem civium in Patricios, Plebeios-
que discrimin Romuli temporibus fuit apprime necessarium.
Rude, & ferox hominum genus, ubi ad rempublicam, ad
sacra tractanda accessisset, cuncta erat absque ullo dubio pes-
sumdaturum. postmodo, si plebeii, si peregrini essent, qui
virtute, inque rempublicam meritis excellerent, patebat sa-
ne via, Patriciorum in ordinem hos addendo, ut vel Regum
ipsis exemplis constat, quo ad profutura publice ministeria,
honoresque admoverentur. Patet præterea, cur ex accidenti
urbana vita ratio primis illis temporibus majori fuerit in ho-
nore reputata, quam rustica. cum patriciis, qui divini huma-
nique juris partes omnes obire debebant, non amplissimo
adhuc eorum numero, otii haud plurimum ad rusticos labo-
res suppeteret; cum minori etiam præ plebeiis fere necessita-
te conflictarentur; Ser. Tullius, cui diversa erat consilii ra-
tio, candem tamen viam sequutus est, nobilitate & in ge-
nere opulentioribus in Urbanas tribus conjectis, reliquis rus
amandatis, ut sic in ditiorum manu omnis versaretur Respu-
blica. Sic magni quandoque fluvii, alias patentibus campis,
alius ad tempus oculis subductus, tanquam cursus rationem
dissimulante humo, eodem tamen uterque, & in Oceanum
invehuntur.

§. VII. Sic varios ordines, in quos Romulus, aliique re-
ges, civitatis Rom. participes distribuerunt, recensui. Defun-
gi jam possem, nisi senatus postea seminarium, medium Pa-
tri-

DE REGNO ROMANO.

29

tribus, plebique concordiae vinculum, & insigne Reipubl. ornamentum, equester ordo, parumper revocaret, coque magis, quod ejus origo, quod ratio cum omnibus civitatis partibus arctissime sit, fueritque jam inde ab initio devincta. Romulo deberi originem, singulis e curiis x. forte ductis, qui Celeres post appellati sunt, tantum non omnes consentiant; quibus ipse ad belli pacisque ministeria, ut Dion. l. II. p. 86. uteretur. Adde, & de diversis eorum nominibus Plin. *Hist. Nat.* l. 33. c. 2. a Spartanis repetit Dion. l. c. mihi Germanis in Tac. *de Mor. Germ.* c. 13. similiores videntur. a Numa jam dimisso fuisse vult Plut. in ejus *Vita* p. 64. & tamen sub eodem Numa Celerum, corumque Tribuni, mentionem facit Dion. Lib. 2. p. 124. quin sequentibus temporibus, equitum, Celerumque Tribunum, in Liv. l. 1. C. 59. Dion. l. 4. p. 269. invenies. Ita arbitror, quæ ab ipso Plut. adfertur ratio, Numam ideo iis noluisse stipari, ne ullo adstrictioris imperii horrore civibus esset gravis; cuius rei iterum rationem si ex eodem in *Romulo* p. 34. A. & Dion. l. 2. p. 99. repetieris, causa patebit. ego itaque sic dimisso a Numa, & post a regibus eum secutis, Celeres arbitror, ne his in pace amplius stiparentur. a Superbo ad corporis custodiam revocatos fuisse, nemini, qui ingenium ejus, imperandique rationem noverit, mirum videbitur. Id jam a Romulo usque eorum honori forte datum, ut perpetui in Rep. fuerint. Sic enim post veteres, recentiores etiam tantum non omnes; dubia tamen quedam, de quibus hic non disceptabo, relinquunt.

§. VIII. Inaugurato (ut ap. Liv. L. I. C. 36. Regi Prisco Tarquinio Accius Navius augur occinebat) a Romulo tres erant equitum centuriæ scriptæ; Ramnensibus, Tatiensibus, Luceribus, (quos Luomedos a Luomo dictos Fest. h. v. appellat, ubi tamen ex Propert. l. 4. El. 2. v. 52. a *Luomedio dictos legendum* arbitror) his nomen, non longâ oratione, quibus hic Eruditi viri difficultatibus sese implicaverint, referam. i. nomina Sabino bello posteriorem originem arguere videntur. Id mihi, qui Celeres istos Romuli cum equitibus legionariis,

30 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

de quibus Dion. Plut. & qui non? quique post certum stabilemque in Rep. gradum obtinuere, perperam a veteribus misceri arbitrer, probabilius, octingentos jam in proelio contra Sabinum regem equites largiente Dion. l. 2. p. 105. ut merito in discriminis hujus causam inquiras, nisi auxilia connumeres. 11. Centurias equestres, rationi peditis, quem singulæ tribus suppeditarent in bellum, adtemperatas fuisse certum est. sexcentis tum, ut juxta Liv. l. 1. c. 30. Summus Gronov. *Observ.* l. 3. c. 25. ut ex Dion: cui de Albanis a Tullo affectis, nullus sermo, alii, nongentis constitit equitum numerus. His ego accesserim. III. tandem Priscus rex alios adjecit nongentos, ut in universum mille essent & octingenti, negante augendum numerum Accio Navio, ut sic in unaquaque centuria essent sexcenti. Sic post Liv. l. 1. c. 36. & Dion. lib. 3. p. 203. etiam Florus l. 1. c. 5. §. 2. a Ser. Tullio tandem ad priorem numerum sunt redacti; sed tribus illis primis centuriis in senas deductis; & additis duodecim aliis ex primoribus civitatis, ut Liv. l. 1. c. 43. id forte argumento fuerit, Ser. Tullium in conscribendo equite censum, priores nihil ferme, præter virtutem bellicam spectaviste, nec minus, cum Celeribus (quos e nobilissimis familiis fuisse descriptos auctor est Dion. Halic. Lib. 2. p. 86.) eosdem non confundendos.

§. IX. In Liv. l. 1. c. 13. Flor. d. l. a viris doctis insurrectum, quasi uterque V. Trib. & Cent. promiscue abuterentur, hic etiam falleretur. Florum, quem Intt. non videntur intellexisse, primum defendam. Verba, *auctæ centuriis tribus*, nihil aliud signant, quam aucto Tribuum in alterum tantum pedite, e-quitem simili ratione crevisse. id notum, certumque. cum adeo in Tribubus peditatus ad xviii. millia esset auctus, adeoque duplo crevisset, debuere & equites adaugeri ad MDCCC, & vice versa. conf. quæ Cl. Boindin. in Mem. Litt. Acad. Reg. Tom. IV. p. 101. seqq. quod Livianum locum, simul & alterum in l. 10. c. 6. attinet, hoc sentio. equestres centuriæ a Romulo inaugurato creatæ sunt; Tribus, quibus adjunctæ fuerunt, non item. Id vel ex facto regis Tullii apertum, mutatis

tatis Tribubus, non centuriis. Jam Numæ ætate, ut supra §.
2. strinxi, labefactata erat harum Tribuum institutio. Servio
deinde Tullio rerum habenas tractante, penitus priores Tri-
bus fuere sublatæ, aliis in earum locum introductis. Cen-
turiæ, quas unicuique Tribui Romulus adjunxerat, & pri-
mario quidem honore, tolli non potuere; hac quoque Ra-
mnensium, Titienorum, & Lucerum, quod cum Tribubus
commune habebant nomen, cum conservarent, & ex una-
quaque præterea centuria angur videatur fuisse lectus, ut
infra copiosius exponetur, factum est, Tribuum veterum no-
mina his uti supereffent; hinc omnino, quod in Liv. I. c.
occurrit, *inter augures constare, imparem numerum esse debere;*
ut tres antiquæ Tribus, Ramnes, Titienos, Luceres suum quæque
augurem habeant. sic apertum, planumque apparet, ut non
videam, quid unquam eo in loco scrupuli hæserit. renuit
Sum. Græv. ad Flor. d. I. quia tum soli equites augures fue-
rint habituri, sibi non probatum. At vero soli equites au-
gures habuere, si separatim a peditatu Tribuli inspicias, quia
soli ex iis fuerunt lecti; non habuere soli, quatenus in armis
Tribus partem faciebant (ante Scrvium nim.) docent hoc,
quæ sequuntur. Aut si pluribus sit opus, pari inter se numero
sacerdotes multiplicent. Par ille numerus est ternarius, id enim
iterum docent priora; quemadmodum ad QUATUOR augurum
numerum, nisi MORTE DUORUM id redigi collegium potuerit,
non invenio. Unde hic totius loci sensus sponte fluit ex Li-
vii sententia. I. Sex fuisse augures, aut aliquo casu esse po-
tuisse. II. Tres centurias primas, quæ Tribuum vicem fun-
gerentur, singulas augurem unum habere debuisse, unde
imparitas numeri sponte sequitur. III. inferas, Liv. existi-
mavisse secundis Ramnensibus &c. aut a Scrvio, aut quoque
post eum augurem fuisse adscriptum. Pari fere in opinione
versari arbitrere Festum, in v. sex Vestæ Sacerd. ubi senarium
numerum Vestalium, in primos secundosque Ramnes &c.
divisa civitate, creatum ait, ut una quæque populi pars mi-
nistram sacrorum haberet; cuius rei origo e Liv. I. 36. 8. jun-
cto

32 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE.

cto Dion. Lib. 3. p. 199. seq. repeti potest. hæc ad Livium,
quia varie ibi cespitatum esse video, observanda fuere.

C A P U T Q U I N T U M.

De Formâ Regni, ejusque Natura.

§. I. **F**undamentum constituendæ, augendæque civitati
varios a Regibus in eandem invectos ordines Cap.
præc. substravi. quænam his imposita moles exsurrexerit, adspicendum est. Nullo negotio intelligitur, populum, qualem
Cap. 2. §. 9. descripsi, summæ potestati insidianibus minime esse opportunum. Non obstat, in rudi erraticoque hominum genere facilem esse consequendi rationem, facilioribus ad decipiendum rudibus animis, si affirmaris. etenim talia ingenia fere tenaciora esse assolent, & adhærescere semel receptis opinionibus, præsertim ubi acrior accesserit indoles, quam quæ blanditis & incantamentis, quæ composita jam civitatis ratio ubertim adfert, jam delinita sunt. His de robore animi, ut plurimum, vis decessit. adde, quod asperiori præsertim coelo, soloque, qua naturali fructi sunt singuli, libertatem incorruptam in societatem inferre, tantum non semper annitantur. nonne in Arctois gentibus par vivendi ratio, par cultus incuria? & hæ tamen Libertatem suam non tantum animose defenderunt, sed & potentissimum in orbe Romanorum Imperium funditus everterunt. Americæ quidem barbaros populos nulla huicdum Europæorum vis subigere potuit, quos sibi relictos similibus præceptis natura imbuit. Populorum ab orbe condito fata mente relege, semper invenies, & tulit, & ferre potuit impotentis domini imperia, nec imperia, quam libidines, suetus regibus Oriens, aut si quos ad Austrum Solis æstus emollit; quæ Occidenti gentes, quæ Septentrioni fuere suppositæ LIBERTATEM, Germanum, Scythicumque bonum, ut est in illo, qui Cæsareo scelere oppressam deflevit, Poëta

Lib.

DE REGNO ROMANO.

33

Lib. VII. vſ. 435. perfidis subſeſſoribus, ut quis arte, aut au-
dacia princeps, nunquam temere violandam permiferunt.

§. II. Quamobrem neque illud multum mirandum eſt, qui ſe in Regio principatu Libertatem, & Imperium tenuiſſe jaſtitarent; Regem ſibi adſcivisſe, qui *principia tantum ad ju-
dendum auctoritate eſſet*, ut eſt in Tacito de *Moribus Germ.* Cap. I.
retenta majestate; neque poſſum enim non adſtipulari viro
in literis principi, Jac. Perizonio, *Difſ. I. de Republ. Rom.* §. 9.
Monarchicam, Aristocraticam, Democraticam Reip. formas
in Veterum uſu non abſoluti imperii, ſupremæque potestatis
juſ, quam ejusdem exercendi, adminiſtrandi que modum ſig-
nari. huic ulterius demonſtrando ut ſuperſedere liceat, d. *Difſ.*
vir Egregius effecit. Majestatem quidem populo conſtitile,
argumento ſunt, creatus Romuli temporibus jam inde ab
initio Senatus, & reliquæ reipubl. partes Curiarum ſuffragiis
conſtitutæ; dejectus Tarquinii furor: juſ ſupremæ a rege quo-
que ad populum provocationis, a Romulo, in Dion. Halic.
I. 2. p. 115. lin. 35. a Tullo rege, ap. eund. *I. III p. 161* & *Liv.*
I. 26. & *VIII. 33. 7.* (& adde ib. n. 17. *potestatem rerum omnium
penes populum*) foedera sancta, bellum indictum, non Regis,
non Senatus, ſed Populi nomine; in eod. *Liv. I. 24.* & 32.
plura mitto. conf. quæ præter alios dixit Abbas de Vertot in
Hift. Revolut. Reipubl. Rom. I. I. p. 13. 19. 32. & 33 & adda-
tur Sidneius de Gubern. C. 2. Sect. 15. enimvero, licet ſum-
mum Imperium, ſive Majestas, ut vulgo vocant, Realis, to-
ta civitate contineatur; ut poſſeſſum tamen, ſic exercitum,
Titanicos tumultus in Republica ne concitet, & per hos,
imperii meri horrores, (neque enim, ubi integrum in unam,
eandemque hoc personam conſertur, non poſſunt non haec
ſuboriri) optimo providoque conſilio fuit proſpectum civita-
tis ſaluti (quodque quacunque in Republ. ubi **SALUTEM PO-
PULI SUPREMAM ATQUE UNICAM ESSE LEGEM**, obtinet,
uſu venire ſolet) hujus exercitum, ne in civitatis detrimen-
tum redundet, varie temperari; neque uni adeo, ſed variis
diverſisque personis, varias, diverſasque ſummae potestatis
partes committi.

F

§. III

34 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

§. III. Atque hoc etiam est, quod Regi, Senatui, populi consilio exercenda quæque majestatis, ut vocant, jura mandando, intendit Populus Rom. constituta tali Reip. forma, quæ in unius quidem imperio, hoc est, reliquos privatos omnes honore & potentia antecellentis viri magistratu, sed tamen æquabili civium omnium libertate consideret; Regiae potestatis originem & naturam non multis hic exsequar. videantur qui saniora ea de re præcepere, præter alios viri III. Sidnejus, & Lockius, editis uterque de Gubernat. Civili tractatibus, nec non, quæ vir Egregius, Jo. Barbeyrac, ad *Pufend. de Jure Nat. & Gent.* lib. 6. c. 2. §. 10. & *Cumberland de LL. Nat.* c. 9. §. 6. observavit, & qui ex Græcia præcipue egregia multa contulit, Feith. *Antiq. Homer.* l. 11. primis v. Capp. & supra citata Diff. Perizon. quibus addi posunt, quæ auctor excellentis Libri, patro nostro sermone editi, *de Vryheit in den Burgerstaet* c. 2. p. 19. segg. contulit. Jam ab ultima antiquitate Regna in humanam societatem invecta fuisse, nemo, qui Historiam vel delibavit, ignorat, *que ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderationis provehebat*, Just. *princ.* l. 1. neque inde mirum, veterum Gallorum, Germanorum &c. regna jam inde ab antiquissimis fuisse temporibus, adcoque progeniem eorum Romanos, prium condita civitate, *ad homines sapientissimos, justissimosque regium imperium detulisse*, ut Cic. *de LL.* lib. 3. cap. 2. hoc moneo, ne quis cum Græcis Romanarum rerum scriptoribus ab his desumptam esse arbitretur illam Reipubl. formam. ex iis quæ supra c. 1. & 2. dixi, facile colligitur, varias per orbem, etiam cultiorem, gentes vix magis inter se sociatas circa illa fuisse tempora, quam nostris in Magnâ Scythia Nomades Tartari. Regna Heroica, ut sic dicam, de quibus post veteres egregie disputavit Vir Magnus. *De l'Esprit des Loix.* Lib. 11. Cap. 11. illa tempestate jam erant extincta omnia. unius si quod esset imperium, vi, fraude partum, non superabat, nisi tyrannicum. Non est, quod regeras; communem stirpis originem agnoscere Græcos, Italos agnoscere. Spartæ tum temporis conditum jam fuisse regnum, Romano non prorsus

sus dissimile. Etenim, utut ab una eademque stirpe deflexum sit diversum hominum genus, diversum de his judicium ferre s^epe c^æli, s^epe soli natura jubet. cum s^epe, generosius, in sua quidquid sede gignitur, insitum aliena terra, in id, quo alitur; natura vertente se degenerat; ut apud Liv. Lib. 38. c. 17. Cn. Manlius consul in oratione ad milites Gallorum fama territos Germanicæ, v. c. Scandicæque originis gentes, ut notum est, ab initio feminas liberrime habuerunt, Tacito, Cæsare testibus. ut Hispaniam tetigere quin & Italiam, mutati mores, & cum moribus leges. conf. modo in LL. Langobard. Luitprandi LL. VI. 68. 72. 82. & legem Wisigothorum l. 11. T. 1. c. 1. quæque infra c. 9 plura in hanc sententiam afferentur. Turcarum quidem tremendum antea virtutis bellicæ robur integro jam seculo languescit. ipsi, qui ex Septentrione nostro apud Indos agendam vitam intendunt, patriotam morum s^epius oblii, in luxum Asiaticum efformari discunt quod ad alterum, reponemus, non omnium, quæ similia aut sunt, aut esse videntur, eandem esse originem, eandem rationem, eandem caussam. rem, quoad leges, exemplis & rationibus declaravit vir Ill. de Montesquiue *de l'Esprit des Loix* Lib. 29. c. 8. 12. & 13. licet enim, ut Plut. in Comp. Lycurgi, & Numa p. 76. loquitur, Lacedæmonios Lycurgus, ut Romanos Romulus, εἰς τὴν ἀσπίδα, ναὶ τὸ δόρυ συνάγων, πολέμου χειρὶς Χειραστούς, ναὶ θεάποντας Αρεός efficeret, observandum tamen est, illos habitu, & consuetudine, hos natura stimulante bellicos fuisse; illos bella præcipue ut propulsarent, illos etiam ut inferrent, institutos; illorum denique Rempubl. (si recentioribus quadantenus composuisse liceat) Venetæ, hanc Britannicæ fuisse similiorem. sed de his jam plus satis.

§. IV. Atque in hac quidem de Jure Imperii Rom. disquisitione, illa sollicite sunt tenenda; rarissime aliquo usu aut pondere valere argumenta, a temporibus liberæ Reip. aut ante judicium Coriolani, aut communicatum cum plebe consulatum, repetita, ut eo exemplo hoc vel illud in regno obtinuisse vincatur: post Reges enim exactos, longe maiorem, quam qua hi usi fuerant potestatem, s^epe Cost.

36 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

sæpe Senatus in se traxerant; sed hæc demum justum trahere momentum, quæ aut fide dignis scriptorum verbis, ad illa tempora spectantibus, aut analogiâ, aut posteriorum Reip. temporum ratione aliquando nituntur. ut itaque a Rege hic initium faciam, erat ille primarius in libera civitate, perpetuusque, quoad vita sufficeret, magistratus, nullo tamen familiæ regiæ ad regnum hæreditario jure. Romanus crenim populus (ut hic verbis regis ipsius Ser. Tullii in oratione in Tarquinium generum, apud Dion. Halicarn. Lib. 4. p. 237. sq. utat) ἡγεῖτο τὰ μὲν χρύματα τῷ κτησιαρέων εἶναι, τὴν βασιλείαν δὲ δοκεῖτων. οὐ τὰ μὲν, ὅταν τὸ πάθωτον ὁ πόπος, τὸς θεῶν, ἢ τῆς διαδήμητος πρεστίτης λαυριθάνειν. ¶ δέ, ὅταν ἐνδειπνοῖ οἱ λαβόντες, τὸς δεδωκότας ἔχων. adde, quæ apud eund. Dion. Lib. 3. p. 148. ad Albanum Dictatorem rex Tullus. Quam eandem fere imperii formam inter Celtas obtinuisse, ostendunt obvia in Cæfare exempla, *de B. G. L. 1. C. 3. l. 4. c. 12. l. 5. c. 25.* quod ad Romanam autem creandi regis rationem attinet, hanc fuisse docent Dion. Lib. 4. p. 242. aliique, ut facta Senatui a populo potestate, ut dispiceret, num præsens civitatis forma conservanda, an alia mutanda videretur, ab illo proderetur Interrex, qui quem imperio maxime dignum judicavisset, in regem eligeret; hoc Senatus suffragiis approbato, eoque auctore, ad populum de ejus Regno ferebatur; si hic quoque scivisset, res auspiciis confirmari debebat; sin unum ex his omnibus defuisset, irrita erat electio, aliasque legebatur, & sic porro, quousque necessariae & legitimæ conditiones omnes adessent. addatur apud eund. Dion. l. 4. p. 272. Brutus Consul in Orat. in Tarquinium, & qui Numæ regis exemplo rem accurate exsecutus est Plut. in ejus Vita p. 60. sq. cum Ser. Tullio mutata tamen hæc fuere, qui imperium tenuit ut *Liv. l. 1. c. 41. injussu populi, voluntate Patrum*, ut Dion. L. 4. p. 218. populi suffragiis, adverso, & auctoritatem negante Senatu. Primo non eam esse Livio mentem, quam vulgo censem, & neutrius suffragiis imperium tenuisse, indicari, censeam, cum & idem L. 1. c. 42. addat; *fusis Etruscis, baud dubium regem, seu Patrum,*

scit.

seū plebis animos periclitaretur, Roman rediisse. Quid enim at-
tinebat, a quibus regnare iussus esset, eorum animos pericli-
tari? quid obnoxiae sibi beneficiis plebis, ut affirmat Dion.
& perpetuus, etiam in Livio, favor ostendit? ne dicam, mi-
nime incredibile esse, Senatores, novo homini, & nullo suo
beneficio ad id potentiaz enecto, infestos fuisse; neque igna-
rum hujus Patrum voluntatis Servium, alliciendo ad se po-
pulo, per quem ea, quæ in Rep. novare intendebat, facilius
consequi posse videbatur, sibi simul præsidium addidisse. Hæc
aliaque, quæ latius jam non licet exequi, movent, ut in re
ipsa magis fere assentiar Livio, in causa Dionyso. conf. etiam
quæ differuere Cl. Boindinus in Mem. Litt. Acad. Reg. Tom. V.
p. 123. sq. & Beaufort de Dub. in Hist. Rom. per. v. priora facula
obviiis. P. II. c. 5.

§. V. Magistratum, eorumque, qui præsint, descriptione
 contineri omnem Reipubl. moderationem egtegie Cic. de Leg.
I. 111. c. 2. h. e. non uni omnia, sed magna in civitate,
ut recte Aristot. Polit. lib. 3. c. 15. quædam tantum singulis
mandando summi imperii jura exercenda. Romani Regis cu-
ræ quænam reliquerint, docet Dion. I. 2. p. 87. sacrorum,
sacrificiorumque princeps ut esset; legum, consuetudinum-
que & morum priorum custodem ageret; atque eam ob ra-
tionem ipse quoque exercebat judicia, conjunctus cum sena-
toribus, his leviores, ipso graviores caussas judicante, cum
provocatione a senatoribus ad se, a se ad populum; in bello
haberer summum imperium, jusque eo nomine pecuniarii
publicam administrandi; jus erat ipsi senatum, populum
ad concionem convocandi; quæ agenda erant, primus
ipse proponeret; majoris partis sententia decreta exsequen-
tur; tributorum quoque exigendorum jus habuisse appa-
ret e Dion. Lib. 4. p. 215. & Lib. 6. p. 360. jus præterea ipsi
fuisse videtur in Senatum Senatores adlegendi; v. Fest. in v.
Præteriti Senatores. ætatisque eorum defigendæ, qua legi pos-
sent, ut ex Dion. I. 6. p. 392. forte colligas. Præfectum Urbi
ipse, ubi belli caussa abesse cogebatur, qui jus redderet, ac

38 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

subitis mederetur, ut Tac. *Annal.* l. 6. creare, qui que vicariam obtineret ab ipso potestatem, Tribunum Celetum; atque qui nam dignissimi sibi viderentur, ad magistratus gerendos (ut ex Interregiæ potestatis jure colligas) senatui, & hoc auctore, populo indicandi. hæc ejus, quæ cognita quidem, præcipua jura, strictim proposui. quem enim in rebus adeo vulgatis moras necesse delectet?

§. VI. Moderator appositus principi, tam eximia potestate prædicto, ut consulibus postea, senatus, ut M. Valerius apud Dion. *Lib.* 7. p. 461. creatos, præfinito a Romulo Principe, Tribuum, Curiarumque suffragiis, centenos primo, tradit, si vera modo, Dion. l. 2. p. 83. & pari ratione ex Sabiniis; id. *lib. cit.* p. 111. (quocum, & secum ipso Plut. in *Romulo* p. 30. & *Numa* p. 60. ex eodem *Lib.* 3. p. 147. in *princ.* in concordiam redigas, ut mihi saltem videtur) post a Tarq. Prisco ad ccc. numerum auctos: quomodo Regum tempore & Patriciis modo ab ipsis Regibus coöptati sint, quâ ætate, &c. superiore Cap. jam dixi, & quos ibi excitavi; qui hoc addam, censum spectari tantum coepisse post Ser. Tullii tempora, quod e Plin. *Hist. Nat.* *Lib.* 14. in *præf.* & regis Tulli apud Dion. *Lib.* 3. p. 148. oratione conficias. neque vero Regum Senatus, sed populi erat summum princepsque consilium, suffragiis populi constitutum, auctumque; contra quam Pufendorffius (cui in Despoticorum, quos vocant, Principum imperio agenti videndum erat, quid scriberet) *de Forma Reip. Rom.* §. 4. qui hæc duo, longe diversa, confundit. πρῶτον ψεῦδος viri Egregii, ut semel hoc addam, cum hic tum alibi est, rejectum Majestatis in *Realem*, & *Personalem* discrimen, & quæ inde surgit inexplicabilis de unitate summi imperii, ejusque divisione &c., turba. Munia Senatus maxima erant, auctoritasque, ut non immerito apud Plut. in *Pyrrho* p. 395. Cincas, *Regum eum multorum confessum sibi visum fuisse*, Pyrrho responderit. I. enim; quod ad leges ferendas, jubendasque attinebat, nihil ad populum, cumque eo agebatur, nisi auctore senatu, quo eodem, ut firmarentur, populi scita opus habuere. v. quæ Dion. l. 2. pag.

87. *I. 7. p. 447. I. 10. p. 661. Liv. I. 1. c. 17.* aliquae. ipsa etiam SCta per anni interrum spatium vim legis obtinebant, apud eundem Dion. *Lib. 9. p. 595. & Lib. XI. p. 735.* bella, pacis, foederum, societatumque jus quod attinet, summa sane & eximia fuit hic Senatus auctoritate, ut in legislatione, sic & his in causulis, ejus auctoritate cum populo communicanda, & ipso Senatu plurima conjunctim cum Rege hoc in genere obcomitent. quod ad judicia porro attinet, haec Regem ipsum primo exercuisse supra dixi, ita tamen ut leviora negotia, Senatorum præcipue de consilio dirimerentur, retento tamen, ut ipse curaret, ne quid hic peccaretur; postea Ser. Tullius sponte arbitrium civilium causarum regiae potestati detractum transtulit ad Senatum; eorum, quæ Rempubl. spectabant, criminum judicium ipse retinuit. v. Dion. *Lib. 4. p. 228. sqq.* adde quæ dixerunt Ill. de Montesquieu *De l'Esprit des Loix Lib. II. c. 18.* & Sigon. *de Ant. Jure Civ. Rom. Lib. 2. c. 18. pag. 409.* & qui totum hoc argumentum justis commentariis Zamolc: Manut: aliquae tractaverunt.

§. VII. Regem, atque Senatum tertia excepit Popularis concilii auctoritas. de ordine plebejorum supra c. 4. dixi. θημολόγιον πλῆθος Dion. *Lib. 2. p. 87.* nominat. cniinvero hinc exceptæ non fuere patriciæ familiæ, quæ in sua quæque, cui adscriptæ erant, Curia aut Centuria ferebant suffragium. & ita Theoph. *ad Inst. Lib. IV. T. II. §. 4.* nota Romulo auctore in Tribus & Curias, Servio in Tribus, & Centuriis populi divisio. hoc retento ordine ad Curiata, ad Centuriata comitia populus advocabatur. primis ex generibus hominum, alteris ex censu, & ætate ferebantur suffragia. ita Læl. ap. Gell. *Noct. Att. Lib. 15. c. 27.* suffragii jure gaudebant, quicunque hac cum facultate in Civitatem Romanam erant recepti jam strinxerunt c. 4. §. 6. quique hac de re egregie sunt commentati, labores, quibus addi possunt, quæ dixit egregius JCtus J. V. Gravina, *Opp. T. I. p. 22. sqq.* Curiata Romulum, Centuriata Ser. Tullium auctorem habuisse Comitia, notum; his constitutis priora in tantum cessavisse, ut postea, nisi auspicio rum gratia, & legis Curiatæ de militari magistratum impe-

40 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

rio ferendæ, adhiberentur; illis, conjectis in sortem Curiis, quo ordine exivissent, viritim lata fuisse suffragia; his, quo ordine scriptæ erant, equitum primo, peditum deinde Centuriæ; utrobique, ut major numerus suffragio vinceret, utraque a Rege, & Interrege poterant haberi; Curiata a Tribuno Celerum, Centuriata vero non potuisse haberi testis videtur ipse patriæ vindex Brutus in Dion. *Halic.* Lib. 4. p. 266. & 262. & Liv. I. 1. c. 58. & 59. ut neque hæc Præfetus Urbi habere poterat, ob Tac. *Ann.* L. 6. c. 11. Dion. L. 4. p. 276. Liv. d. 1. simul junctos. cætera, quæ loca, tempora, rationem ea habendi spectant, quum Brisson. *de Form.* L. II. Merula, Grucch. uterque justo volumine dixerint, licebit fusius enarrandis supersedisse.

§. VIII. Quæ jura coacto hæc in Concilia Populo a Regibus asserta sint, jam spectandum est. faculam prælucet Dion. L. 2. p. 87. jubendarum legum potestatem, de bello, & pace disceptationem, Magistratuui creationem Populo commissa fuisse adfirmans. adde lib. 2. p. 224. 1. 6. p. 392. quæque M. Valerius ad Senatum l. 7. p. 462. alios tacco. Legum a populo jubendarum auctor fuit senatus, sic ut Rege aliquas leges, sive se, sive alio quolibet autore, ad Senatum referente, fieret SCtum, ut res populi suffragiis permittetur, lege in senatu digesta in aptum ordinem, ut sic loquar & præparata. hæc apertissima facit ap. eund. Dion. l. 7. p. 447. Cos. Minucius ad Tribb. Pl. & Liv. Plut. ipsius Dion. variis in locis, aliorumque testimoniis firmantur. quod actum esset, ad Senatum iterum referebatur, ut ejus auctoritate confirmaretur, sin minus, esset irritum; par pacis, belli foederumque penes populum arbitrium: iisdem legibus, quando ex senatus consulto ad eum a rege iis de rebus esset relatum. (neque enim, quod non quaue occasione populum consultum reperias, in contrarium licebit argumentari) unde etiam, si vera M. Valerius apud Dion. Lib. 6. p. 385. triumphi concedendi jus populus habuit (atque hinc Isidorus *Orig.* Lib. 18. c. 2. de triumpho exercitus, senatus populi judicium fuisse; quod ex Liv. l. 26. c. 21. lucem foenerari poterit) 111. tandem populo fuit

fuit magistratus; ut crearet, concessum qui sibi a Magistratu comitia habente indicabantur competitores; quo in genere fuisse videntur Quæstores, ob *l. un. D. de Off. Quæst. & Tac. Ann. l. XI. c. 22.* adeoque Duumviri perduellionis causa; Curiones, & forte etiam Tribuum Praefecti, ceteros, Tribunum Celerum, Praefectum urbi (alii num qui fuerint, mihi quidem non constat) a Rege fuisse creatos, notius est, quam ut firmari debeat. quod ad judicia attinet, populi nullæ hac in re propriæ fuere partes, nisi quod gravioribus in causis ego quidem arbitret provocare licuisse condemnatis ad populum. id non tantum notissimo Horatii Trigeminorum unius, judicio sedet; in *Liv. lib. I. c. 26.* (ubi satis clare indicatur, jam ante Regis Tulli tempora latam legem, quæ Duumviro, quæ provocationis jus supponit) sed & non dubio indicio mihi se commonstrat ex *Dion. Lib. 2. p. 118.* ubi Romulum refert, varios non ignotos cives, qui latrocinia exercuisse a finitimis essent convicti, de rupe præcipites dati iusisse, τὴν δίκην αὐτὸν μόνον. utut enim vel ipsa supplicii atrocitas invidiam moverit, & illuc etiam referat ipse Dion, suspicari tamen licet, minus penæ diritate offensos fuisse Romanos, quippe qui & ipsi satis fera essent indole, quam, quod damnatos ad populum provocantes sprevisse videretur in negotio, quod publicæ esset existimationis; atque huic quidem juri ad populum in causis gravissimis provocandi evertendo neque sufficiunt ea, quæ ex Horatiano perduellionis judicio obmoveat *III. Pufend. de F. R. R. §. 5.* cum *Livius contrarium doccat;* neque etiam, si Valerias Leges, arcem libertatis Romanæ (ut vocat apud *Liv. Lib. 3. c. 45.* in Appium Decemvirum invehens Icilius) opponas, quas affectati regni suspicio ad populum, primoresque purganda, teste *Plut. in Quæst. Rom. p. 284. in f.* & per mota, aut imminentia a Tarquiniis bella facili specie definienda plebes, referandas expressere. conf. quæ ap. *Dion. Lib. 7. p. 457.* Appius.

§. IX. Præter hunc comitiorum potestati præfinitum limitem, quem dixi, alterum addit idem *Dion. Lib. 2. p. 87.* ἐπαύει βασιλεὺς ἐφῆ. arripuit *Cl. Pufend. l. c. §. 4.* ut regiam potesta-

42 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

tem intenderet. erroris caussam, & originem supra aperui. nunc observo. I. non accuratissime expensum videri a viro magno locum; neque enim *ἐάν* ibi vulgo habetur, sed *ὅταν*. II. si vel vulgatam versionem retineas, nihil pro ampliori Regis potestate hinc nasci. nihil enim amplius innuit, quam a senatu decreta curiarum calculis a Rege fuisse commissa, id quod erat necessarium, quo rata essent. III. aliis compluribus cum aliorum, tum Dionysii quoque testimoniosis (v. c. Lib. 4. p. 224. quem locum ipse adfert V. C. nulla tamen addita restrictione) passim jam adductis, hoc populi jus ita declarari, ut alium hæc sensum fundere nequeant. tentaveram aliquando *ἐντίπτειν*, pro *ὅταν*; *ubi bellum quocunque Rex aliis intrahet*, de patrum nim. sententia; v. formulam senatum consulendi, & bellum indicendi in *Liv.* Lib. 1. c. 32. qui idem & vulgato sensus hauriri potest. bellum quidem dici potest *ἐπίεσθαι*, ut *mors, pernicies*, in *Hom.* IX. §. 396. & alibi, & ut tela &c. in hostem dicuntur. v. quæ *Summi Græci ad Hesiodi Aet.* 308. & sic accipienda sunt, quæ ex persona M. Valerii Dion. Lib. 7. p. 462. jura, quæ recenset, senatum *μεταδεδωκέντα τῷ δημοτῷ*; concessam semel populo potestatem, suffragiis pro arbitrio sanciendi, aut abrogandi leges, quæ in senatu digestæ, & præparatæ essent, in concione propositas; quemadmodum hodieque Venetiis *Collegium*, quique huic inter alios assident, quos *Savii Grandi* vocant, eodem muneris genere in Magno Recip. Concilio, Senatuque defunguntur. v. quæ *Mr. Amelot de la Houssaye Hist. du Gouvernement de Venise* p. 62. seqq. & p. 280. seqq. neque etiam novi aliquid est, a summo imperante, qualis hic populus, concilium constitui, citra cuius approbationem ipse decreta sua valere nolit. dixit, & additis exemplis, ac rationibus illustravit ipse *V. C. Pufendorfius de jure Nat.* & *Gent.* lib. 7. c. 6. §. 12. idem in Laconica obtinuisse civitate, senatu, ephorisque constitutis, docet *Plut.* in *Lycurgo* p. 43. in Attica, post Arcopagum, & ccce. senatum, idem in *Solo-* ne p. 88. coll. viro *Ill. de Montesquieu de l'Esprit des Loix* lib. 6. c. 5. quoad Venetam Remp. de Senatu Decemvirali, & Recip. quos vocant, *Advocatoribus*, exempla dabit *Amelot de la Houss-*

Housiaie Hist. du Gouv. de Venise p. 306. & p. 349. alia taceo.

§. X. Itaque, cum & summa Majestas Populo per §. 2. b. c. integra constiterit, & unus tamen summo & perpetuo magistratus honore; & amplitudine Romæ excelluerit, Monarchiam Mixtam, ut vocant, hoc civitatis genus intelligere licet, quod Herili, Meroque Imperio ex adverso oppositum, liberam Rempubl. quo, ni fallor, sensu *Plato de LL. Lib. 4. p. 542.* Spartanum regnum Aristocratiæ comparavit, cum perpetui reges imperitaverint; in quantum singulis major honore & potentia magistratus, juxta certas, stabilesque leges, rerum summæ præest, Regnum vocaveris. hæc enim esse, quæ sola Regem a Tyranno distinguant, masculine, ut solet, ostendit *Illustris Sidneius De Gubern. cap. 2. Sect. 30. & cap. 3. Sect. 16. p. 317. sqq. edit. Londin.* de cuius a primis Romanis susceptræ civitatis utilitate me quidem si sententiam roges, non aptius respondebo, quam verbis *Illustris Viri de Montesquieu Des Causes de la Grandeur des Romains, & de leur Decadence c. ix. p. 68.* Fuisse, qui Romanam Reip. formam pro pravâ, vitiisque scatenti interpretarentur, ex Unius, Optimatum, & Populari imperio mixtam. Perfectam tamen, numerisque omnibus absolutam, non esse eam, quæ quas Rectoria civitatum Scientia magistri, integris libris effingant, hanc vel illam exprimat; eam esse, quæ, quod unicuique, qui legibus civitatem condere paret, defixum, definitumque sedere debeat, proposito allibrata sit; quod vero non aliud aut esse posse, aut debere, quam magnitudinem visusque civitatis, quam felicem & prosperum rerum successum; *M. Tullii de LL. Lib. 3. cap. 7.* Regale civitatis genus, quondam probatum, postea non tam regni, quam regis vitiis, repudiatum esse.

§. XI. Quod quidem quam necessarium jam ab initio Romanis fuerit, atque iis animis, quos vitæ, cui assueverant, genere truces aliquoquin & asperos, laceravisset discordia, satis appareat, inhabili & ineptâ, quæ per se una Remp. gereret, plebe. Ne composita quidem civitas unicum multitudinis imperium diu tolerare potest. *Hæc enim (ut egregie Liv. Lib. XXIV. c. 25.) natura multitudinis est; aut servit humiliter, aut*

44. SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

superbe dominatur; libertatem, quæ mediæ est, nec spernere modice, nec habere sciunt: & non desunt ferme irarum indulgentes ministri, qui avidos, atque intemperantes plebeiorum animos ad sanguinem, & cades irritent; unde eleganter Plato de *Republ. Lib. VIII.* p. 452. ὁ δικαιοστίας ὄπισθι ἀγαθὸν, οὐ τέττας αἰτλασία νοεῖ ταῦτην καταλύει. copiose ipse talis status incommoda illo loco est prosecutus, copiose etiam Arist. de *Republ. Lib. 4. c. 4. p. m. 221.* sqq. & alibi passim, & qui non post hos? neque tamen is erat populus, qui se rerum omnium actu atceri sineret, & pecorum instar agi, quo rectoribus allubuisse; neque etiam illud multis commemorabo, eo minore saepe boni publici cura cives sollicitari, eo gravius premere imperium, quo penes pauciores constat, quod cum in unius arbitrium totum quantum fuerit collatum, tum demum solet illud durum plane, & violentum existere, quod Aristoteles designavit, dum bellum furori componit. Atque cum in universum de tribus illis, quas *simplices* vocant Reip. formis, prædicari possint illa Platonis de *LL. Lib. VIII.* p. 584. εας ἀρχές ἀεὶ τὴν βίᾳ, prudenter profecto sic ad populi indolem hæc fuit composta, sic temperata, ut inde exsurgeret, quod ζευχθὲν μὲν ἐν γράμμασιν ἀγαθοῖς, τε νόμοις λέγοντες, ἀριστονόμων τοῖς ξ., appellat idem ille de *Regno* p. 134. regale civitatis genus, in qua cum legum sanciendarum, magistratum creandorum, quæ bello, & pace gesta essent, confirmandi, aut irritandi jus, populum Reip. participem, imo principem efficeret, & tyrannidis arcebatur periculum, & ea populo peragenda tradebantur, quæ proprie recte ab ipso solo efficientur; quod sapienter jam tum dicit Arist. de *Rep. Lib. 3. c. 11.* qui multitudinem illam, vagam & ipso discrimine metuendam, dum in unum veluti hominem animo & ratione intelligendum colligi, & conduci jubet, coadunatas singulorum, cum mentis, tum corporis vires, ut omnibus utiles esse possint, efficit. Πάντες μὲν γὰρ (ut addit) ἔχοντες συνελθόντες ināνην ἀπόθησιν, καὶ μηγύρησιν τοῖς βελτίστοις, τοῖς πολειών αἴφελέστοις, πατέρας οὐ μὴ παθαγά τροφὴ μὲν τὸ παθαγόν τὸ πατέρα χρησιμάτεραν τὸ ὄλιγην. χωρὶς δὲ ἕκας Θεοῦ αἰτεῖται περὶ τὸ κρίνειν ἐστιν. & conf. que dixit Vir eterni nominis, de Montesquieu *De l'Esprit*

Esprit des Loix Lib. 11. c. 2. p. 17. seqq.

§. XII. Unde & hoc consequitur, ad naturam Rom. Imperii compositam fuisse summam rerum moderationem, in Senatu, prudentissimis in civitate viris constante, repositam; adversi his mores Graecas civitates pessum dedere, dum corruptus a concionatoribus populus, magistratum munia in se trahendo, omnia susque deque vertit. neque etiam non prudenter actum, ut in re civili & militari præcipua munia obirent Patri-
cii, cuius rei ratio repeti potest ex Dion. Lib. 11. p. 83. cum primis temporibus plebeii minus ad hæc habiles censerentur; conf. Vir Ill. de Montesquieu, *de l'Esprit des Loix lib. 5. c. 5.* & addatur Arist. *de Rep. l. IIII. c. 12.* unde & hoc consequitur, magis connifuros fuisse, ut his, quibus gerenda obtigis-
sent, dextre defungerentur, ut invidiam, in libera civitate primoribus imminentem, eo felicius exirent; quorsum ad-
das, non unâ vice cum contigerit, ut plebeiorum præcipui in Patricios, atque hinc in Senatores allegerentur, acribus stimulis excitatos fuisse civium animos, ut omnibus viribus allaborarent, quo meritis conspicui, & hinc possent evadere. Atque id a Tarquinio Prisco (qui, & post cum Ser. Tullio) idem contigit, fuit effectum, teste Dion. l. IIII. p. 199., quod e-
go ambitioni quidem viri adscriptum esse, sed perperam, vi-
deo. neque enim civitatis Rom. rationi consentaneum erat,
plebecios quosvis, quos inter & egregii viri esse possent, ab omni rerum actu arceri; & hæc erat, ut dixi, egregia præ-
rea ratio, plebem excitandi, ut promovendis civitatis com-
modis pro virili quisque incumberet. atque sic etiam ordinum Romæ introductum discrimen, præterquam quod ad regnum apprime esset compositum, egregie etiam prospicie-
bat, ne aut populares procellas, aut herilis imperii furias ci-
vitas pateretur, cometæ ad instar, quem inter aeternas æstus,
frigorisque vices nulla reficit temperies. rem declaravit vir Magnus in æterno opere, *de l'Esprit des Loix. l. II. c. 4. & l. V. c. 11.* tum auctor libri *de l'Esprit des Nations l. IIII. c. 9. §. 10.*

§. XIII. Quæri porro & illud solet, præstiteritne in Roma-

46 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

na civitate in regnum subiisse principes liberis populi suffragiis? num vero jure gentis ac familiæ in demortuorum locum, nullo postmodo populi, postquam semel in hanc imperium contulisset, diligendi temere jure, successisse? quo in negotio multa præcipi video ab his, qui nostris temporibus de civili prudentia libros evulgaverunt. v. præcipue Pufend. de jure Nat. & Gent. lib. VII. c. 7. Grot. de jure Belli & pacis lib. II. c. 7. §. 12. seqq. Hutcheson. in Elem. Phil. Mor. Lib. IIII. cap. 7. Burlamaqui Principes du Droit Politique Part. II. c. 3. §. 14-43. & alii. non referam quæ ab instituto meo aliena sunt, & ob hanc, vel illam caussam variis in civitatibus vario in usu versantur. Illa dicam, quæ finem nostrum proprius tangent, & Arist. quidem de Republ. Lib. II. c. 10. *ὅτι τὸν αἰγεῖον εἴναι ὅπις πάντων, μετέχων ὁ δῆμος τὸ μεγίστης ἀρχῆς, βαλεται μέντοι τὸν πολιτεῖαν*, Spartam innuens; quæ si intelligantur de quocunque civitatis genere, profecto populus in illam Remp. quæ unicuique, qui dignus fuerit habitus, viam ad summum imperium pandit, magis animō feretur; ubi eminentissimos honores pro arbitrio tribuendi ipsi facultas sit; ubi si unus parum arriserit, aut populi commodis faverit, illo deficiente, alium, qui magis in hæc facilis sit, legendi fit potestas. adde hæc, quæ certe vera sunt; quotiescumque, demortuo principe, suffragiorum libertati locus est, eos, qui suffragia sunt inituri, providere posse, ac dispicere, ut prudentem, rerumque usum, & tractanda republ. exercitum, ac matura jam ætate virum regno admoveant, quorum omnium sæpe nullam, sæpe modicam, sæpe summam, sed spem tamen unice, hæreditaria, quæ vocant, imperia spondent. unde neque multum mirandum est, Romanos hanc sibi potestatem, fatente etiam apud Dion. lib. IV. p. 243. Ser. Tullio, semper retinuisse. etenim i. cum in bellis Regum ductu uterentur, & his uterentur perpetuis, imperium vero late proferre cuperent, iis opus habebant Principibus, qui totâ mente, nisique huc incumberent; quæ in hæreditaria successione vix ac ne vix quidem fuissent speranda. v. quæ V. C. de Montesquieu des causes de la Grandeur des Romains &c. cap. I. p. 4. & Arist. de Republ. Lib. II. c. II.

2. cum hoc, nisi liberâ civitate, obtineri non posset, periculum, ne aliquando, si principes amplissimam sibi potestatem appetiissent, & sic civitatis finis negligeretur, ne Resp: quidem conservari posset, quin finitimis populis succumbere necessum haberet. atque, cum hic esset populus, qui unius urbis mœnibus contineretur, gravius sine dubio fuisset potestatem, nullo suo beneficio a patre ad filium, nepotem ve transmittendam, latus; propior enim, & acrior in civitate, unius urbis mœnibus circumscripta, in potentiores invidia ingruit; atque præterea principibus hoc pacto minus caussæ esse poterat, cur privatrum opum, etiam cum Reip. damno, incrementum intenderent, siquidem perspicerent, si vel quid amplius ipsi possent, nullos tamen hinc fructus in suam gentem, familiamque redundaturos. perpetuum tamen, dum vita sufficeret, hoc eum munere fungi consultissimum erat, propter eandem, quam primam tetigi rationem, tum quia unus, atque perpetuus imperii splendor, non in recente adhuc & plena ferocibus animis civitate, sed in illa quoque, quæ diutina annorum maturitate composita jam confedit, molliores ad iussa exsequenda civium animos efficit v. quæ Ill. de Montesquieu, *des causes de la Grandeur des Romains*, &c. c. xi. p. 73. observavit. quandoquidem autem, uti dixi, libertate præcipue magnitudo Romana innitebatur, atque illam etiam ut augerer, & conservaret, tantum non semper intenderit, qualis, & quantâ specie, ac in Regno floruerit, videbimus.

C A P U T S E X T U M.

De Libertate Romana.

§. I. **N**on multus hic in laudes Libertati (quæ prima cuique Belgæ cura debet esse, quod sacrum pignus) debitæ expatiabor. præliterunt id satis, superque inter Veteres pariter, ac Recentiores, immortalia ingenia; ac licet Co.

48 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE.

Comes de Cataneo in horribili & sacro libello *Essai sur l'Origine des Gouvernemens Politiques* C. 15. licet alii ausi sint blaterare ; *Libertatem tantopere celebratam, vanum tantum esse sonum, a veteris Gracia (Britanniam potuisset addere), montibus, & tumultis repercussum* ; quanto tamen acrior Ar-sacidum regno Germanica Libertas, ut nervosè Tacitus, usus semper ostendit. nihil unquam, nisi ignaviam Sol oriens collustravit ; quâ occidit, vigorem, & robur intuitus. Hæc, secunda virtutum mater, tenues Græcorum Respu-blicas in imbelles Persas, Medosque erexit ; hæc Romanis in armis complures gentes perdomuit ; hæc iisdem, semel in Orientis, Austrique mores delapsis, gentes Arctoas, rudibus licet ad artes & disciplinas animis, per ducentos, & amplius, annos composuit ; hæc, potentissimum illud in or-be Imperium ut funditus everterent, excitavit ; hæc denique ipsa, ut impotentes Hispanorum, Celtarumque tyranni Batavum nomen non unâ vice exhortescerent, præstitit, atque effecit. Tanto pulchrius est, sub *imperia legum potentiora quam hominum ire*, quanto florentem Libertatem lætior virtutum seges consequitur, conservat, adauget ; regiæ servituti vitiorum spurca indago, & comes est, & nuncia, & pernicies. Triste, sed ad posteros salubre exemplum antiquis temporibus præbuere illi ipso Romani, nostris imbuunt Galli. Conf. qui inter omnes optime hæc & solidissime demonstravit, Sid-nicius de Gubern. c. 11. Sect. 11-15.

§. II. Quapropter neque hoc multum mirandum est, stu-diosissimos Libertatis semper fuisse Romanos, quæ & ingenio suo congrueret, & augendæ potentia necessaria esset ; siquidem neque acres, asperique animi, atque ipso vitæ genere contra ignotam etiam voluptatem, capitalem illam, atque unam libertatis, & civitatum pestem, obsfirmati, pati potuissent, ut quis imperium in se pro arbitrio inhiberet ; neque etiam tali essent iudeole isti Principes (Tarquinium, & sub re-gni finem Romulum si exceperis) ut cives suos *metu magis, quam pudore* sibi parere vellent ; neque etiam in unitis regno civitas stare potuisset, quin brevi a finitimis, atque pugnacis-simis populis fuisset elisa, quibus ut resistere posset, libertate opus

opus erat, siquidem popularibus, atque mixtis imperio rebus publ. addicti cives longe magis patriar, bonique publici amore tangantur, eique promovendo incumbant, quam, quos in absoluto unius imperio ut viverent, mala fors damnavit; quos & consentanea regimini vitæ ratio animis ener- vat; & inscitia Reipubl. ut alienæ, curam ejus, & sollicitudinem eximit; &, si vellent etiam, exilium, vincula, mors denique in præmium ostententur. in hæc ne exspatier, otium fecit æternus Sidneii labor, *de Gubern. c. 11. Sect. 10-30.* & præcipue *Sect. 28.* adde, quæ III. de Montesquieu, *de l'Esprit des Loix lib. 11. c. 10. lib. 14. c. 3. & lib. xvii. c. 1.* & sane, qui servilibus animis inter liberos circum pugnacesque populos tuta fuissent omnia, quibus liberis cum his adeo gravis, adeo diuturna lucta fuit subeunda?

§. III. Atque hic, dum de Romanæ civitatis libertate ago, & illud mihi pro se quisque perpendat; sicut optimi & pulcherrimi arborum fructus, nondum æstivo sole maturati, spe quidem lœtâ blandiuntur, iisdem tamen nondum sedati Aquilones crebro imminent; ita neque in Romana civitate libertatem, quantumvis cupitam, quæstamque, jam tum a primis initiosis nativas illas Veneres, quas postea æquabili Republicâ idem ille populus, quas hodie una per Europam, & altera civitas amplectuntur, explicuisse. nequivissent fere ruidia, & ferocia ingenia tantum statim libertatis splendorem perferrre, in mala innumerabilia conjecturæ, si his, qui nutritæ fovendæque nondum sunt pares, fruenda traderetur; ut recte Liv. *princ. lib. 11.* atque hinc etiam varia in Republi- câ, ritibusque ea occasione receptis, constituta fuerunt, quæ, utut ad libertatem, unam si spectes, non recte distributa fu- isse videantur (conf. v. c. quæ Dion. *lib. V. p. 286.* præter alia, quæ *præc. cap.* jam exhibui) ad temporum tamen, quæ veteres spectanda dant, conditionem composita fuere, quemadmodum optimæ licet, & saluberrimæ leges, non tamen, nisi certa plerumque ratione, neque omnibus in universum po- pulis congruunt, atque mutatis rerum causis sæpe etiam sunt mutandæ; quemadmodum etiam Romana in civitate sub prioribus Regibus ea Libertatis erat conditio, ut civium uni-

50. SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE.

cuique propria moderato & miti principum imperio tutta sat
tis esset; omnium sua mole staret; utrimque a Servio Tullio
ita & firmata fuit, & aucta, ut ad hæc consilia si sequentes
Reip. rectores adhaesissent, valido, & in multas ætates dura-
turo fundamento facile potuisse consistere videatur. neque
tamen Regium nomen imperiumque, liberæ civitati intol-
rabile, quis objeccerit. imperaverunt Germanicis, liberrimis
semper gentibus, Reges. regnantur hodieque Magna Britan-
nia, & Suecia (ut alias per Europam & nunc, & olim, gentes
taceani) sed ita regnantur, ut si non majori, pari saltem,
atque in antiquis Græciæ & Italiæ civitatibus, Libertas vigo-
re constet. ipsas inter, quibus Rerumpublicarum nomen vul-
go fete tribuitur, Veneta, Genuensisque Duces, Belgica A-
causicos sibi Principes apposuerunt, neque tamen Libertatem
stiam tenere, & tueri ideo non potuerunt. imo hæc cum
consilat in prudenti diversarum summæ potestatis partium
temperie, atque illo in Regno, quod Legibus, atque harum
Latoribus & Custodibus in perpetuum fuerit devinctum ac
circumscriptum, ac in libera, quam vocant, Republ. florere
poret, & sepe viget.

§. IV. Libertatis itaque non una est, eademque ratio; aut
enim refertur ad civitatis genus, cum varia summi imperii par-
tes ita distribuuntur, & se inter invicem temperantur, ut, si
illi, quorum fidei aliquæ fuerint creditæ, aliquid in privatam
utilitatem & contra Reip. finem, commodumque perficere ag-
grediantur, cæterorum gravitate atque auctoritate contineri
possint; aut etiam cum singulis civibus comparata exige-
tur, ubi illa, quæ ad hanc certam atque perpetuam tuen-
dam fuit excogitata, pari ratione singulos, & secretos, at-
que omnes & junctos respicit. fundamentum autem, prin-
cipiumque libertatis omnis, quæ in societate civili homi-
nes fruimur, Naturalis est Libertas. sic enim a sapientissi-
mo numine nobis hæc est concessa, sic indita atque instilla-
ta, sic ratione, atque intellectu illa nostri pars nobilior præ-
brutis animantibus fuit instructa, atque ornata, ut rerum
nexum, & in hoc discrimina, veritatis ordinem ac rationem
correctando, perspicere valeremus, atque dijudicare, quænam

ad

ad has ex voto, atque ex naturæ nostræ ratione ac dignitate implendas, apposita obtineri possent, & præcipua auxilia; hæc autem, quando & honesta, & nobis utilia futura esse cognovissemus, omni mentis acie, atque contentione in hæc ut ferremur, hæc ut amplectemur, in his dextre advertendis, præcipuam felicitatis nostræ spem, atque cogitationem ut defixam tencremus. atque hæc quidem, uti libertatis nostræ naturam præcipue exserunt, atque exprimunt, ita neque mihi videtur opus esse, ut multa disputatione patcfaciam, neque voluisse sapiens illud Numen, cuius hæc cuncta consilio continentur, cuius fini, propositoque cuncta hæc inserviunt, quas ipse tam varias, tam eximias, tam aptas hunc in usum dotes in creatum a se hominem contulisset, ab aliis alio deflecti, ac averti; neque etiam illud voluisse, ut, quoniam a primis, qui in terris suere homines, in cæteros derivata labes, mentes eorum, animosque occupavisset, atque in iis penitus insedisset, atque hæc fuisset causa, cur unico præcipue societatis civilis vinculo coaliti tamen huc omnes dirigerentur, omnium arbitria attemperanda essent ad unius omnino hominis voluntatem, propositumque, quod a recto atque utili sape abiret, sape parum introspiceret, sape subfida, atque media parum apta deligeret; sed, cum hac ipsos uti conditione foret necessarium, censuisse, totam hanc animorum compaginem legibus esse continendam, confirmandam, conservandam, quæ neque ab illis, quas ipse universo mortalium generi posuisset, quas ipse servaret leges, in diversa abirent, neque etiam temere ab aliis possent perfringi, & labefactari, quod quidem hac potissimum ratione obtineretur, si ipsæ illæ, cum omnium causa ferantur, omnium quoque consensu sancitæ fuerint, siquidem illi, quibus forte visum fuerit, societatis fini atque utilitati infesta, sibi privatim profutura, moliri, ab his in ordinem cogentur, & coercebuntur. Atque adeo, cum ex his appareat, & Dei consilio, & hominis naturæ repugnare absolutum imperium; illud nimitem, quod omnes, aut præcipuas potestatis civilis partes in se, & perpetuo, contineat, repugnabit etiam illi fi-

52 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

ni universalis, quem omnes, quæ rectâ lege, & conditione sunt constitutæ, civitates, propositum sibi habere debent; ad quem cum una quæque ferme sibi proprium privatumque attemperet, huic quoque adversabitur, prout illum, qui cunctis in commune debet esse propositus, proprius minusve exprimet.

§. V. Exposui libertatis omnis originem, naturam, & modum, his porro & illud consequens est, cum malorum, in statu naturali sëpe imminentium, averruncandorum causâ in societatem rectoriam coierint homines, atque tantum de propriâ exissimatione sponte quisque remiserit, quantum expediebat, ut commodis omnibus libertatis naturalis fruerentur, unum legum esse in libera civitate imperium, quæ ita omnium libertatem definiunt, ut singulis plenam, atque illibatam conservent; *ad has autem nihil tam aptum est, quam imperium, quam magistratus, qui legis loquentis instar, dum prescribunt recta, & utilia, & conjuncta cum legibus, ut Cic de L.L. lib. III. c. 1.* earum vim, & reverentiam a malorum temeritate sic defendant, ut ipsi etiam sponte sese iis submittant, memores, ut se populo, ita sibi praesesse leges, ut est ap. eundem. *καὶ εἰ οὐρανοῖς βέλην (ut Arist. de Republ. lib. III. c. 16.) τέτες πατασσάτον γούριφθλανας, ἢ ὑπερίτας τοῖς νόμοις. quod quidem aureum plane carmen Principibus omnibus non exemplo tantum, sed & toridem pene verbis prauntem, Trajanis & Antoninis æmulum Principem, FREDERICUM REGEM, nuper adspexit, & miratus est orbis) etenim, quod brevi post ab eodem scriptum esse video, οὐ μὲν δὴ τὸν κελεύων ἀρχεῖν, δοκεῖ κελεύειν ἀρχεῖν τὸ δὲν, καὶ τὰς νόμους. οὐ δὲν ἀνθρώπων κελεύων, προσίθησι καὶ θυγατρούς. οὐτε γὰρ ἐπιθυμίᾳ τοιχού, καὶ οὐδὲν δροῦνται διαστήφει, καὶ τὰς νόμους ἀνδρεῖς. id quod eo magis est necessarium, quia ea, quæ publicam civitatis securitatem spectant, multa numerant, quæ recessius ab uno, aut per paucis, quam a compluribus, efficiantur, atque ea de causa amplissimam imperii vim his concedendam, postulent; hæc vero, ubi ad certas causas descripta, atque definita non fuerit, hominæ indolis vitio possit aliquando in ipsis Reip. damnum redundare; addentur etiam, qui pru-*

prudentiâ, gravitate, opibusque præter cæteros plurimum excellentes, & summis magistratibus ratione & consilio aderunt, si quidem verum est, plures fecerunt plus uno dispicere; & in id erunt intenti, ne præcipuâ atque excellenti potestate convulsus principis animus, in leges, & jura civitatis, quorum custodia in ipsius manibus fuit deposita, audeat aliquando incurrire (quâ mente Senatum Coss. ut ante Regi, moderatorem fuisse appositum auctor apud Dion. lib. 7. p. 462, M. Valerius) & hostilia forte ausum pro sua auctoritate & potentia coercebunt, neque etiam, dum privatæ fortunæ cum publicis ipsos conjungunt, venalibus propter egestatem animis (quod Lacedæmone aliquando contigisse de Ephoris memorare prodidit, & reprehendit Arist. de Republ. lib. 11. c. 9.) ad nutum principis, aut plebis, vel etiam peregrinam munerum spem circumagentur. Atque hic etiam (quod iterum eodem in loco Dion.) idem pulchrius obtinebitur, si populi concilium fuerit, quod legum ferendarum, magistratum creandorum, & rationes rerum ab iis gestarum reposcendi potestate gaudebit; quod quidem, si ejusdem urbis mænibus continetur, per se ipsum hæc poterit exsequi; ubi in larga terrarum spatia diffunditur, per Senatores, qui vices ejus obituri sunt, & ab ipso legentur, hæc ut efficienda curet, necesse est. Quo ipso efficietur, ut a senatu sancte integreque res administrentur, & ea, quæ partium popularium sunt, majori, quam alias, prudentiâ perficiantur; conf. quæ post Harringtonium in Oceanâ dixit Nob. Hume Disc. Polit. xii. p. 342. sq.

§. VI. Atque hæc quidem communis libertatis attributa præcipua, ex quibus facilis negotio & alia ad eam perpetuam in Rep. tenendam necessaria derivari possunt, in quantum ad Rom. civitatis in Regno statum composita fuerint, videamus. Atque legum quidem ferendarum jus, cum Rex esset, cum Senatorius, cum Popularis ordo constitutus, prudenter ad libertatem populo erat traditum; cum neque Regi hoc esset mandandum, siquidem ille leges exsequeretur, ut gravanti potentia posset resisti; neque etiam Senatui; & propter casdem rationes, & ne Populum hac occasione op-

54 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

primendo, aut degenerem redderet, nulliusque ad bella ferociae, aut infernum, reculantenque pro illâ civitate arma capere, in quâ servorum potius, quam civium loco haberetur. Quâ tamen eminenti & pereximia potestate ne posset populus temere abutî, ut aut Regium Senatusque nomen vellet aliquando e Rep. tollere, aut plane debile, atque enerve reddere (sicuti in libera civitate, qui natalum, aut munerum splendore præ aliis excellunt, inferioribus sæpe sunt odio) aut ne Rex aliquando in optimates, acrius sæpe addictioribus imperiis resistere solitos, incurrat, hisque plebis ope prostratis (sicuti egenæ plebis aura principem fere viam ad tyrannidem sternit, & eo facilior quidem, illa in civitate, ubi populus, æqualibus per capita civium suffragiis, potestate legis, latoria gaudet) ipsam suo gladio jugulet, quod Clearchus, Heracleæ tyranthus, in *Just. lib. XVI. c. 4.* aliique exemplo ostenderunt. adde, quæ dixit Arist. de *Republ. lib. 5. c. 5. sqq.* atque hinc prudenter erat prospectum: i. ut penes solum Rex gem jus esset, Senatum, Populumque convocandi, præfinitisque locis, & temporibus; ne unus, aut alter, illo invito atque inscio, in cætum coacti, quæ ipsi plane adversa forent, possent moliri, quod ad ea, de quibus agendum esset, spectat, quum nil ad populum proponeretur, nisi auctor re Senatu, atque ne hic quidem privati pro concione de iis dicerent, si recte Dion. *lib. V. p. 286.* ut ut haud diffitear cum Nobiliss. Hume *Diss. Polit. XII. p. 330. & p. 343.* auctoritatem hanc libertati satis infestam esse, per se si species, poterit tamen in Romana Civitate illa se exceptione tueri, metum esse potuisse, ne hoc modo rudia & ad quascunque artes exposita ingenia, specie decepta, prava, aut damnoſa Reip. sæpe sciscerent, quibus adde, quæ c. v. §. 9. dicta, ipsum tamen non necessarium fuisse vel ex eo & merito ar- guas, quod nihil eorum, quæ in Comitiis acta essent, ratum posset esse, nisi Senatus suffragiis confirmasset, quod & prudenterissimum erat, & necessarium plane vinculum, ut per hæc & Rex, & Plebes contineri possent; præterea quum & hoc esset, SCta per annum integrum vim legis ut obtine- rent,

rent, sunt demum, ut perpetua essent, a populo confirmata, & hinc non videtur prior illa comitiis senatus auctoritas fuisse necessaria; atque inde, simul & e Ser. Tullii factio, forte suspicere, honoris potissimum, & prudentiae gratia, ea, de quibus Populus erat disceptaturus, cum Senatu communicata, & a Rege fuisse.

§. VII. Atque legum quidem jus quod attinet, in quo facile momentosissimum est jus Tributorum, ut recte Vir Maginus de l'Esprit des Loix lib. XI. c. 6. Regi concessum, ut vis detur, si vera Dion. LL. Supra CC. refert, non recte descripsit, distributumque fuisse apparet. atque idem, licet prius, & angustis illis civitatis Rom. temporibus non magni fuerit momenti, quum tamen providendum sit, ut civitates, in quantum humanâ ratione prospici possit, solidis fundamentis perdurent, periculosisssimum est, nisi plane absurdum, atque omni civitatis fini infestum, principi hoc facultatis concedi, siquidem ille boni publici, & temporum Rep. specie tantum pecuniarum sibi poterit postulare, quantum velit, & hoc praetexto cives pro arbitrio emungere; cum tamen in eos praeципue civitatum libertas consistat, ut unusquisque & de vita, & de potestate proprium in corpus, & de fortunis priuatis securus sit, æquissimum sit etiam in eâ Rep. ubi summa rerum penes populum est, adeoque penes singulos, autibz præcipuos cives jus suffragii, de communi consensu constituti, quantum velint in publicam securitatem e fortunis priuatis, aut communibus erogari. atque inde etiam in vere liberis civitatibus negatur hæc Principibus potestas, delata ad supremum senatum, per annorum vices ab, & ex populo electum, ut Magnæ Britanniæ, Sueciæ, Belgij nostri aliarumque exemplis constat.

§. VIII. Cum vero, quidquid Regis arbitrio non diserte esset relictum ad senatum, Populumque deferendum esset, prudenter etiam constitutum, ut Rex cogeretur & Senatum, & populum hoc casu convocare, quod ubi prorsus ex Regis arbitrio pender, libertas tenui admodum discrimine pender, & plerumque eliditur, ut Francicæ Libertati sub Borboniis cala-

56. SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

calamitas præcedente sæculo illata docuit, & aliæ exemplo civitates admonuere. Conf. III. Sidneius de Gubern. cap. IIII. Sect. 44. Burnetus in Hist. sui Temporis T. I. passim; Montesquieu de l'Esprit des Loix lib. XI. c. 6. p. 314. & Pufendorf. de Jure Nat. & Gent. lib. VI. cap. 6. §. 10. atque hic, ubi de jure suffragii quæras, illud profecto liberæ civitatis conditio- ni haud prorsus erat adaptatum, in comitiis infimam fæcem pari cum locupletioribus jure suffragia tulisse, quod tamen a Ser. Tullio introducto censu, centuriarumque discrimine prorsus fuit atque in Reip. summam utilitatem correctum; rationes repeti possunt ex Viro III. de Montesquieu des causes de la Grandeur des Romains &c. cap. 3. p. 16. & C. 8. p. 60. cum ubi infima & minus provida plebs potestate gaudeat de maximis rebus sententiam dicendi, summum sit periculum, ne incentores seditionum, & turbulenti homines populari specie eam in suum ipsius detrimentum corrumperent, qua de re v. quæ idem V. C. de l'Esprit des Loix lib. VIII. c. 3, disseruit.

§. IX. Atque non idem modo mictuendum foret periculi, si ipse populus ea, quæ ut legibus sua vis, & robur constet, civitati bello atque pace securitatis spes affulgeat, per se ipsum exsequenda, atque efficienda susciperet; cum ipse legislatoriæ potestatis jam compos, possit exsequendi jus & in magistratus, senatumque, & in singulos etiam cives pro arbitrio exercere; sed & illud, ne tota civitas in nihilum abeat, siquidem per hominum, rerumque naturam ita comparatum est, ut & multi in unum coacti, tot ferme sensus, quot sunt capita fundant; hæc vero ejus sint indolis, ut & in bello subita sœpe consilia in decernendo, celeritatem in exsequendo, & utrobique silentium exigant; administrandæ quoque Reip. hæc sit conditio, ut ad tempora civitatis sœpissime dirigenda sit moderatio imperii, quorum nihil prorsus a populari multitudine augurandum unquam est; atque inde prudenter hæc Reip. pars Regi, & Senatui fuit adscripta, cum & sumnum in bello, & soli Regi esset imperium, naturæ rerum conve- niente modo; & reliqua cum Senatu conjunctus obiret, qui
men:

mente & consilio Principi semper adesset, unde, quæ populi hoc in negotio erant partes, actum potissimum legumlatorum spectabant; bellum suscipiendum, pacem instaurandam, foedera jungenda &c. a Rege & Senatu decreta populi scito confirmando, aut rata non habendo quod diu post adhuc obtinuit. v. quæ post veteres idem *V. Ill. Lib. XI. c. 17.* Hoc etenim, cum minime sit consultum, illum illosve, qui potestate, quam vulgo vocant, Executivâ gaudent, a legum latoribus pro arbitrio hic impediri posse; illud est, quod cum est necessarium, ne illi, humanæ naturæ vitio, nimiam aliquando appetant potestatem, tum etiam his omnino delegandum, ut rationes bene, vel secus gestæ Reip. ab iis possint reposcere; absque hoc enim neque stare poterit civitas, neque etiam tuta esse *Libertas*, siquidem boni publici, & temporum Reip. specie legum & magistratum munia in se paulatim princeps velit trahere, amplioremque, quam leges concesserant, potestatem sibi arrogare mediretur. exempla in Rom. civitate subministrabunt præcipue *Priscus Tarquinius apud Dion. Lib. IV. p. 203.* & *Ser. Tullius apud eundem d. l. p. 238. seqq.*

§. X. Atque hic ut minor esset periculi metus, creandorum magistratum jus ad populi arbitrium prudenter erat rejectum. invictis in omni causa rationibus addixit vir summus *De l'Esprit des Loix Lib. II. Cap. 2. p. m. 17. seqq. & des causes de la Grandeur des Romains, & de leur Decadence cap. XIV. p. 100. seqq.* etenim si in Rom. civitate honorum, magistratumque fons & principium fuisset Regalis potestas, metus saepe justus esse poterat, ne gratiâ etiam minus cæteroquin digni proveherentur; saepe etiam, ne beneficio obstricti homines, etiamsi prava plurima Principes molirentur, obviam his ausibus non irent (quemadmodum *Prisci Tarquinii beneficium Superbo profuisse*, *Dion. & Liv. notant*) quodque hac ratione Senatus, qui Regi moderator erat appositus, nullam plane potentiam, & enervem reddidisset; huic porro si illud iuris fuisset traditum, gliscens in immensum inter Senatores ambitus, & factionum privatarum fuisset materies, neque

58 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

etiam non, cum odiosum reliquis, liberis quoque hominibus, invecitum foret discrimen, magistratibus patriciorum unice curæ mandatis, ita demum populum magis fallere poterat, ubi perspexisset, in sua esse potestate repositum, quemnam potissimum ad honores proverbi vellent; qua in caussa, primis illis civitatis temporibus, non imprudenti consilio hoc erat constitutum, siquidem & natalium luce civium oculi præstringerentur, & major muneribus reverentia circumponeretur, cum alioquin inter æquales, sed ferocientes adhuc animos, facile cuncta invidia odiosisque arsissent, qui, quibus se aut pares, aut portiores esse censebant, præferri tamen vidissent; quod quidem quando contingit, quam atrox oboritur e vestigio popularis invidia, nemo non novit. porro, cum hoc in negotio Regis, quæ post Coss. partes fuisse videantur; & hac ratione diversa ordinum potestas sic temperabatur, ut neque Regis in arbitrio esset repositum, quos vellet, magistratus constituendi, neque Populi etiam, prorsus ipsi adversos, indignosque creandi; utrisque Senatus auctoritate conjungendis, qui, ut rata essent, quæ in Magistratum comitiis essent acta, SCto auctor fieri debebat, priuati Reges ut iisdem crearentur, nullo hereditario jure, aut una senatus potestate, ob ea, quæ Cap. V. & §. pres. dixi, & quæ nunc non enarrabo, alia, cautum recte fuerat.

§. XI. Quod inter magistratum munia sanctitate & honore excellit, est jus & tutela judiciorum & legum. atque hic quidem amplissima erat, & prævalida Regis potestas, dum veteri more ipse lites inter cives ortas, ut voluntas constiterat, fcre dirimeret, tum etiam in quæcunque crimina, siue publica illa, siue privata tandem essent, animadverteret; atque hæc quidem a Ser. Tullio in tantum fuerunt immunitata, ut ipse publica tantum crimina persequeretur, reliqua judicia aliis relinqueret, juxta certas, atque perpetuas leges exercenda, unde de regia cum potestate dimidium detraxisse pronunciat Dion. Lib. IV. p. 228. enim vero, ut recte observavit. V. C. de Montesquieu, *de l'Esprit des Loix* Lib. XI. Cap. XI. nihil fere minus esse poterat cum Libertate compo-
situm,

situm, quam Rex ut judicia obiret, etenim, cum & juris fere
tendarum legum esset quodammodo particeps, atque hic e-
tiam Jus haberet Tributorum, & factis esset præfetus, quo-
rum jam inde ab initio caussa civitatis rationi arctissime fue-
rat innexa, atque illigata; haberetque etiam in bello sum-
mum, ac in cives quoque, imperium, aliaque; prospectum
quidem fuerat, ne gravis aliquando hæc civitati evaderet po-
testas, cum cauto, ne imperium in liberos ipsius, aut nepo-
tes &c. semel & una lege transferendo, gladium, quo ali-
quando misere jugulari possent ipsi, porrigerent; tum Rege
legibus subiecto, rationibus reddendis obnoxio, atque iis,
quæ publico nomine gesserat, per populum demum confir-
mandis; quantum tamen, hoc judiciorum regno, Libertati
periculum, furente Tarquinio apparuit. atque, ut pravos ta-
ceam, illud omnino verum est, ne optimos quidem, & sa-
picitiæ, atque virtute eximios Principes providere atque dis-
picere posse, ne in judiciis exercendis, multa sæpe gratiæ,
sæpe ambitioni, sæpe causis parum ex vero expositis, etiam
præter animi sui sententiam dent. conf. qui de his egregie pla-
ne differuere Viri Illust. Sidneius *De Gubern.* C. 111. Sect. 22 & 26.
Montesquieu *De l'Esprit des Loix* Lib. vi. c. 5. p. 154-158. & c. 6.
lib. xii. c. 8. c. 12. c. 22. & *des Causes de la Grandeur des Romains*,
& c. c. xv. p. 108. sq. & c. xvi. p. 114. & Pufend. *Diff. de F. R. R.* §. 6.
atque hæc, cum & bono ac moderato principi difficile admo-
dum sit, nisi rerum indoli repugnans, illam terribilem &
severam judiciorum gravitatem legitime moderandi, ubi in
improbi, aut socordis arbitrium devenerint, tum demum ul-
tima & miserrima illa in cives calamitas ingruit, ubi metus,
ne singuli a Rege arripiantur, in cunctos transfusus, omnia
pro arbitrio fere gerendi liberam ipsi præbet facultatem, si
quidem insolitæ tantum caussæ, temporumque conditiones
prohibere possint, ne hac potestate in belluinam rabiem pro-
rumpant Principes, quod innumera ex veteri pariter, & re-
centi memoria exempla satis superque, & ad damnum hu-
mani generis, & ad prudentiam, monuerunt.

§. XII. Atque sic arbitror, præcipua, quæ Romanam sub-

60 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

Regum imperio libertatem spectant, a me esse exposita. descendum jam erit de his, quæ porro prudenter in civitate constituta fuerunt ad eam condendam, augendam, conservandam; atque hoc quidem in genere, cum boni mores unicūm sint, & præstantissimum libertatis fundamentum, si quidem perpetua hæc ut vigeat, a populiscoli atque amari eam oportet, quod a corruptis penitus animis vix, nisi plane non, obtineri potest; hi vero in barbaris populis sæpe magnam partem in Religionem trahunt; neque etiam non Religionum gravissimo pondere Majestas, & Libertas quoque Romana considerint, operæ erit, opinor, de his breviter distinuisse.

C A P U T S E P T I M U M.

De Religione Romana.

§. I. **Q**ualis sit, & quanta Religionis, cum Naturalis, tum illius, quam beneficūm Numen cum Judæis primo, mox rōto cum orbe communicare dignatum est (quidquid sacrilegum θεομάχων genus hoc præcipue sæculo ineptiat) utilitas in moderandis hominum ingenis, æternæ quoque felicitatis spem si tantisper ex oculis seponas, in re unicuique, qui vagis opinionibus ante occupatam, & delusam mentem non gerit, satis perspecta, multis dicere necessarium non arbitror. atque auctore quidem Romulo, auctoritas a Numa, atque una mole exstructas religiones in tantum coluere Romani, atque in tantum harum auxilio confidebant, sanctitate devinciebantur, ut præcipuo vel inde etiam columine magnitudo Romana steterit. atque hinc & ipse ea tantum hic de Romana religione disputabo, quæ quatenus ad constituendum, deinde vero etiam quantum ad conservandum, atque augendum civitatis statum effecet, arguent.

§. II. Et originem quidem ex Græcia, nec Oriente deri-

van-

DE REGNO RÖMANO.

61

vandam esse, qui cum Romana Veteri Celticam composuerit religionem, perspectum arbitror, cum in utraque eadem viguerit indoles; unde neque multum mirandum est, Græcam fabularum congeriem a Romulo non fuisse receptam, tum quoque iisdem terrarum in tractibus adhuc ignoratam. reliqua, quæ ipse, sequentesque reges aut ab aliis accepta, & deflexa confirmarunt, aut per se se constituerunt, jam exsequar. & primum quidem a Romulo cuncta auspicio gesta fuere, atque peracta; Urbe condenda, populo in ordinis dispescendo, Regno constituendo, tanta quidem religione, ut ab illo constituta sequentes reges movere ausi non fuerint. ac Tribus quidem, Curiasque, post adhibita auspicia ab eo fuisse constitutas, & ex Feste colligas, qui ritum hunc Etruscorum libris explicatum, traditumque refert; tum etiam ex Accii Navii auguris ad regem Tarquinium verbis *ap. Liv. I. 36.* atque inde eundem ritum in æuali per Curias agrorum divisione adhibitum fuisse existimes; id quod prudenter præstitutum, ne feroci homines de his turbas, rixasque moverent, aut in aliena quoque invaderent; quorum etiam Numæ lex de terminis prædiorum in Dion. Halic. *I. 2. p. 133.* spectavit. præterea in Regis & Magistratum creatione, Comitiis convocandis, Senatu habendo, Deorum mens per aves, & exta semper exquirebatur. atque Regem quidem ne populus legere posset, Senatui infestum, adversantemque, hac ratione Senatus providere poterat, cum in ejus, aut Patriciorum aliorum manu essent sacra; atque adeo acerrimum in promptu telum habebat, cum comitiis obnunciari posset, caque dirimi, ubi augures aves non admittere nunciarent, &c. aut jam creatione peracta, si vitium adfuisse testati postmodo quoque fuissent; quod ipsum quoque Regis, qui sacris omnibus esset præfetus, erat, unde hic eo ipso legislatoriæ in Rep. potestatis erat particeps, atque auctor; unde apud *Liv. I. c. concilia populi, exercitus vocati* (nim. centuriata comitia) *summa rerum, ubi aves non admissent, dirimuntur.* atque hinc & illud callide, Senatum non nisi in templum, concilium Populi non nisi in forum vocari

H 3

po-

62 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

potuisse; & ab eo tantum, qui auspicia haberet. templum cum esset locus ab auguribus consecratus, ut ex Varr. *Gell. Noct. Att. Lib. 14. c. 7.* unus erat atque solus, ubi SCium jure posset fieri; atque hoc præstabat, ne invito principe Senatus convenire, aut aliquid etiam adversus eum jure decernere posset. in foro quod haberentur comitia, auspiciorum etiam causa, ut notum, fuit constitutum; centuriata enim extra Urbem semper haberi debebantur, quod exercitum intra Urbem imperari fas non esset, teste Gell. *Lib. 15. c. 27.* ut arbitror, Libertatis gratia, ne populi in ferendis suffragiis libertas per armatos aliquando posset coerceri a Rege, Magistribusque; unde ap. Lucan. *Lib. I. v. 320.* Pompeius a Cæsare notatus. pari modo, ut in Magna Britannia severa lege est prohibitum, ne circa ea loca, ubi, legendis in Supremum Regni Concilium Senatoribus, quibus suffragii jus est, conveniunt, milites adsint.

§. III. Atqui id etiam usui fuit, Regem, magistratus, Patricios reliquos fuisse, qui civilia munia cum sacris conjungent. supra equidem jam dictum est, consultum fuisse Patricis magistratus, & honores mandari, ut in ferocium animalium plena civitate essent, quibus parere vellent; atque illa veneratio in civium animis augebatur, ubi vidissent eosdem, qui civitati in bello atque pace praesent, sacris quoque praesse, cum in adulta quoque Republ. nedium surgenti, ut c. 2. dictum, nihil fere maiorem verecundiam in hominum mentibus gignat, quam sacerorum, iisque addictorum auctoritas. quam ob rem quoque, simul etiam, perpetuam inter Imperium, & Sacerdotium, ubi sejuncta sunt, contentionem excundam, prudentissimo consilio sacerorum principatum in se suscepisse Romulum, observat Cl. Auctor *Libri de l'Esprit des Nations Lib. 4. cap. 12. p. 69. sqq.* atque, utut a Numa institutum fuisse Pont. Max. doceat *Liv. I. c. 20.* neque ille regis auctoritati erat subductus, neque etiam Rex ideo supremam sacerorum curam omisit, ut discit ex Bruti oratione ap. Dion. *Lib. 4. p. 269. juncto L. 5. p. 278.* unde & Regi erat in promptu, populum adversantem compescere.

pescere; & Senatui quoque per augures, si Rex contra sua commoda forte legem ad populum persesse intendisset; quibus, ut & hinc varia potestatis partium cognoscatur tempries, si jungas, illos ipsos Patricios, qui sacrorum curam gerebant, de jure respondere solitos fuisse ex Romuli instituto, ignaris illius plebeiiis, atque hoc fuisse quod e sacris libris petendum esset (v. Dion. *princ. Lib. 10. p. 627.*) hoc quoque vinculum Patricium, Plebejumque ordinem mutuo devinxisse, apparebit.

§. IV. Jam quid etiam, quantumque in re militari, quo Romanos necessitas, & fata vocabant, præstiterit Religio, videamus. notius est, quam ut affirmari debeat, pullos saturos, famelicosve de summa rerum in bello agendarum decreuisse; in consilium rei gerendæ advocatos fuisse augures, ut addicentibus avibus, prælia committerentur, aliaque gerentur, tum, cum adhuc circa Romam bella gerebantur, videre licet in Liv. *Lib. 4. c. 18.* sacramenti religio (quemadmodum apud barbaros populos jus naturale magna sui parte Religionem trahere suevit. (v. præter alias, quæ vir summus, *de l'Esprit des Loix Lib. 24. c. 8.*) militem Romanum arctissimis compedibus illigabat, ne ducibus non parerent, ne ex acie fugerent, ne ordine cederent. v. quæ Liv. *1. 22. c. 38.* & quæ hunc in usum differuit idem vir Celeberrimus, quem modo laudavi *Lib. 8. c. 13.* parili signorum militarium sanc-timonia. de utrisque v. quæ cum alibi, tum præcipue *Lib. 6. p. 375.* & *Lib. 11. p. 723.* Dionysius differuit: neque vero non talia imperii pignora arte erant introducta, quæ Romanorum animos ad virtutem bellicam incenderent, animis reputantes, hæc esse, quæ quamdiu Romæ asservarentur, urbem fore invictam, neque invictam tantum, sed & imperii in quas-cunque gentes futuram compotem; quo in genere recensentur Vellæ sacratus ignis, cœlo demissum Mavortis ancile, Capitolii fundamenta portento æternitatis illustria, & cedere renuentes Juventa, & Terminus, Rex idem Deusque post fata Romulus; ut loquitur Vir Ill. de Montesquieu *De la Grandeur des Romains, & de leur Decadence Cap. 10. pag.*

64 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE.

70. pari ratione, respectuque, ut Arca Fœderis (sed ex instituto Dei Optimi Maximi) ut שׁבִינָה apud Hebræos (quod occupare nolo, qui alios brevi eâ de re copiose & egregie di-
sturos esse sciam) ut apud alios alia.

§. IV. Atque hoc etiam non belli tantum, sed & pacis tempore cives imbuebantur; quod quidem a Romulo fuit egregie præstitum, & Servio Tullio; teste Dion. lib. 2. p. 93. & lib. 4. p. 218. ille, cum in xxx Curias populum divisisset, totidem quoque focos publicos dedicavit, ubi festis diebus curiales adessent, & sacrificiis pro Curia a suo Curione peratis, una epularentur, quo de ritus genere apud Septentrioris, Occidentisque populos recepto, copiose dixit Doctiss. Keyzler in *Antiq. Sept. & Celt.* p. 349. sqq. quemque, cum aliis, tum ea præsertim de caussa eum invexisse, tradit Dion. l. c. quod hoc ratione in bello pudorem in singulis, & verecundiam gigneret, socium suum, quo cum Diis una libavisset, sacra fecisset, & communium sacrorum factus fuisset particeps, deserendi; conf. quæ dixit Cl. Boindin. *de Tribb. Rom. P. I.* p. 108. sq. alter, diviso Romano agro in varias Tribus, Urbanarum ratione, & in singulis per montana atque suo ingenio munita loca pagis, quo se noctu, quo subito incursu hostium rustici sese reciperent, compositis (quem veterem jam morem in Oriente receptum in sacris paginis (v. Jerem. iv. 29. & XLIX. 29, 30) passim, & eundem in Plin. *Hist. Nat. Lib. 16. c. 1.* de Chaucis loquente, observare licet, unde quoque patrio Belgarum sermone v. *Dorp*, a veteri *Terpe*, editum, communitumque natura locum signante, natales arcessere, notum est) Paganaliorum sacrum instituit, parili ratione, uti probabile est; aliam etiam adjiciente Dion. Lib. 4. p. 218. adde Fest. in v. *Publica Sacra*. neque, ut mihi quidem videtur, nullo prorsus jure suspicere, sacris paganorum præfectos, qui connumerandis simul variis generis nummis, qui census caussa, ut ex codem notum est, conferebantur, vacabant, eosdem fuisse cum illis, qui singulis pagis erant præfecti, οἵς ὅπιμαλὲς ἐγένετο τὰ τὰ ὄνόματα τῷ γεωγεῶν ἐσδέναι τῷ εὐθελεσθίᾳ τῆς τὸν τὸν πάγου, καὶ τὰς κτύσεις, συ-

αῖς δὲ βίος ἀντῶν ἦν. καὶ ὅποτε χρεῖα γένοισθαι ἐπὶ τὰ ὄπλα τὰς χωρύτας παλεῖν, οὐ χειράτων εἰσφορᾶς κατ’ ἄνδρα ἐκλέγειν, οὐτοὶ τὰ τε σώματα τυῆγον, καὶ τὰ χειράτα εἰσέπραττον, ut idem l. c.

§. VI. Etenim & hoc fuit, ut C. 2. §. 10. jam tetigi, & h. C. §. 3. a Regibus inventum, ut sacra, & militaria munera ab iisdem saepe obirentur. qua quidem occasione pauca de his delibabo. in his primi fuere Curiones, singulis curiis præpositi, quemadmodum etiam ab iisdem eligebantur, quamque electionem ab Auguribus ratam haberi oportebat. couf. Dion. Lib. 2. p. 93. & Curiatis quoque comitiis præerant; v quæ M. Scaliger ad Fest. v. Curiales, præpositumque sibi habebant Curionem Maximum, itidem a populo legendum. suscipiari quis forte possit, Curiones eosdem fuisse cum his, qui Centuriis præpositi, Centuriones vocantur, Curiones etiam a Dion. l. 2. p. 82. cum respectu ad militarem Tribuum, Curiarumque rationem; cui tamen rei & hoc obstat ap eund. d. L. p. 92. quod immunitatem a militia, annum L. egensis (idem de Druidibus memorante Cæsare de Bell. Gall. Lib. 6. C. 14. & aliis) concessisse Romulus dicatur; enimvero quicquid tandem hujus rei sit, errorem tamen oportet esse; neque enim quinquagenarios, sed sexagenarios ab urbanis bellicisque muneribus exceptos fuisse, tritum est. ego, ut nihil hic temere pronunciabo, neque plane abnuerim, ex militaris, & civilis curiarum rationis confusione & hanc potuisse oriri, ita tamen, si eosdem ab origine gemino munere functos fuisse tetenderis, haud plurimum repugnabo; sic etiam consequentem his Tribunum Celerum, cui & ipsi solennia sacra erant peragenda, recenset Dion. Lib. 2. pag. 124. quæ qualia fuerint, ego quidem ignoro.

§. VII. Omnium vero principes, & præcipui hunc in censem Augures veniunt, quorumque, ut egregie Latiae facundiæ parens de LL. lib. 2. c. 12. *Maximum & præstantissimum in Republ. jus est, & cum auctoritate conjunctum; prout ipse id illo in loco facunde est exsecutus.* Ego jam c. 4. §. 10. quod sufficeret, ut arbitror, ostendi, favente Livio, equestres fu-

66 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

isse centurias, quæ pro Tribu præberent augurem. a Romulo terni primum sunt instituti; atque hinc etiam negabat Accius Navius augur, augeri posse numerum, nisi addicentibus avibus. de numero post non accuratissime constat. an sex fuerint usque ad L. Ogulniam, ex Livio non definite colligas, ipso tamen, ut videtur, existimante. ego, uti nondum vidi, qui hoc explicaverit, ita post alios probabilius esse censuerim fuisse quatuor, atque quartum a Ser. Tullio additum; non una potest affterri ratio; aut, quod auctus sit in honorem Accii Navii numerus; ille enim cum maximo in honore esset apud Romanos, forte hinc a Prisco, aut Tullio regibus, & ejus, & prodigiorum favore additus quartus fuit. neque enim unus collegio erat, & tamen ad omnia publica Augurum munia semper adhibebatur, teste Dion. Lib. 3. p. 203. aut etiam arbitrere, unumquemque Tribanum pro Tribu sua datum fuisse Augurem; Servium autem Tullium, qui vellet plurima novare in Republ. proscriptisque Romuleis Tribubus, ut notum, Urbanas alias unâ plures instituisset, atque præpositum unicuique Tribunum præstituisset, & veteres Centurias, ut probavi, & Tribunos etiam reliquise, & cum novam adjiceret Tribum, Tribunumque, & hunc in Augurum cooptavisse collegium. neque id solum fuit, in quo populum religionis prætextu lusit hic Princeps, ut alio loco videbimus. Atque hæc si vera fuerint (neque enim undecimque difficulatibus libera esse, ipse agnosco) expediretur utique major, ampliorque per hos Regia auctoritas, quæ hos sibi adeo haberet addictos; tum etiam quoad rem bellicam re multi momenti, si iidem militibus forent præfeci, qui sacerdotes.

§. VIII. De his autem, nec de Virgg. Vestalibus, cæterisque sacerorum ministris, plura, ne nimis in longum hæc extrahantur, non dicam. Feciales verbo tangam, Juris Gentium proprie magis, quam sacri antistites. eorum originem, & auctorem Numam exhibet Dion. Lib. 1. p. 17. & 1. 2. p. 131. jus feciale in bello indicendo (nam foederis fisciendi gratia jam formulam invenias in Liv. Lib. 1. cap. 24.) auctore eodem D. G. 32. Ancus Marcius ab antiquâ gente

gente Aequicolis descriptum, & repetitum, condidit. collegium corundem, xx. numero, ex Patriciis constabat, & senatoribus, licet alia sentire sciam insignem geminā Pallade virum, Joh. Zamoscium *de Senatu Rom.* lib. 1. c. 15. sed revicit dedendis Caudinæ pacis sponsoribus facialis A. Cornelius Arvina ap. Liv. 9. c. 10. idem, ut puto, qui anno ante Dictator fuerat; atque hoc quidem prudenter; etenim varii Italiam populi, Romanis sub Romulo pene similes erant, ut exempla docent, subito irruere, & vastare agros suetū; eratque adeo, quod Romanos milites in victoriam erigeret, si arbitrarentur, justum esse, & legitimū, quod susciperetur, bellum; etenim, ut Propert. Lib. 4. Eleg. 6.

*Frangit, & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.*

§. IX. Atque sic, quæ in Romanâ in regno religione ad scopum nostrum facerent, præcipua retulisse me arbitror. adjicere varia alia potuisse, nisi brevitatis rationem habere stetisset, & hæc etiam alio pertinerent. Cum autem notum sit, ad mores hominum componendos eximiam esse vim religionis (quod quidem, ut nullius inter falsas, vel unius veræ Christianæ, exemplo staret) & ab horum sanctitate, & elibrata rectitudine civitatum felicitas, atque ipsa libertas pendeat, atque legum reverentia; atque etiam, ut supra strinxī, penes barbaros populos & in Religionem magnam partem transeat Jus Naturæ, atque legum, morumque formam induat, uti alii exemplis, rationibusque dudum evicerunt, non inutile quoque futurum arbitror, si de moribus, institutisque, ipsam præcipue civitatem spectantibus, nonnulla disseruerim.

CAPUT OCTAVUM.

De Legibus Publicis & Moribus Civitatis.

§. I. **Q**ui publice in civitate recepti constitutique semel sunt mores, aut constituendæ, aut conservandæ, aut augendæ inserviunt. priora duo ad Orientis penetralia submoti præstitere Sinae; quid Romani valeant, videamus. Nemo miretur publicos civitatis mores me nominasse, quibus partim se unus quisque tenetur componere, partim vir bonus componit; cum etiam cæteroquin Naturales Leges sæpe a Civilibus sanciendas esse contra improbitatem hominum videamus; neque etiam adeo cognita erant in universum illis temporibus solida Juris Gentium principia, & fundamenta, & tritum etiam est, ea, quæ veteribus legibus introducta sunt, moribus quoque adscribi. vide sis, quæ Viri nostra in arte principes, Pithœus, & Schultingius, ad Coll. LL. Mof. & Rom. T. iv. p. 749. sqq.

§. II. Atque hæc quidem inter primum & antiquissimum institutum, mutuum illud Patronos inter clientesque vinculum, sese offert, de quo Dion. lib. 2. p. 84. sqq. Plut. in Romulo p. 30. atque in ea civitate, quam vicini castris in medio positis, apud Liv. lib. 1. c. 21. haud immerito compararent, obtinere debebat, ut, quantum per naturam regiminis effici poterat, foris tantum & in hostem cives essent feroce, nec iis, quibus in foro tantum, interque rixas & seditiones promptissima esset lingua, in pugnâ haud æque vigerent manus; quod ap. Liv. lib. 22. c. 44. Paullus consul; atque hinc, ut a Patriciis invidiæ, odiorumque; a Plebeii superbiæ, injuriarumque metus abesset, mutua illa inter utrosque jura, de quibus alii affatim dixerunt, a Romulo constituta fuerunt. quibus quidem omnibus acrius adhuc vinculum ab eodem injectum, lata, aut repetita ex veteri memoria (v. Cæs. de Bello Gall. 1. 6. lata

s. 13. & 23.) lege, de proditoribus & desertoribus satis atroci; eos, qui violati his in rebus officii convicti essent, ut Diis inferis sacros, impune occidendi, ut Dion. l. 2. p. 84. atque hæc mirum in modum Patricium, Plebeiumque ordinem colligabant, ut quum, si quid alicubi in divisione summorum imperii jurium minus esset prudenter temperatum, hac ratione repararetur, cum necessitas quoque adigeret utrosque ad mutua officia; atque hinc magna plebis pars in Patriciorum manu fere erat, ac potestate; hi ne auctoritate abuterentur, & lege erat prospectum, & aliis, quæ memoravi, cum præsertim tradat Dion. l. c. p. 85. hanc summam fuisse nobilium laudem, si quam plurimos haberent clientes, quod geminum plane de Gallis (hic etenim, ut ego arbitror, instituti fons, & origo) *hac una gratia, potentiaque notis, Cæs. de B. G. l. 6. c. 11.* & 15. de Germanis Tacitus de Mor. Germ. referunt.

§. III. Atque & huc Numa postmodo intendit; cum in ternas Tribus divisis, seu gentes potius, civibus, cuncta ardent discordiâ, litibusque, re civitatis fini summe adversâ, neque dum longâ pace seorsim habitantes gentes in unam veluti coiissent. v. quæ Dion. lib. 2. p. 123. & Plut. in Numa p. 64. sq. ille, ut horum certaminum semina quoque e Republ. tolleret, palmario invento, teste ib. Plut. p. 71. opifcum collegia instituit, in quæ omnes, qui eidem arti addicti essent, describerentur; ut tibicines, sutores, figuli &c. quique cum definitis cæribus, communibusque sacris, nulla habita gentium ratione, conciliarentur, non poterant non hanc gentilium discriminum memoriam sensim sensimque ex animis hominum, & mentibus eximere; prout hoc etiam fuisse, quod Ser. Tullio consilium, animumque addiderit, ut penitus hæc susciperet eradicanda, atque extirpanda, arbitrer. v. quæ de his disputavit Sigan. de Antiquo Jure Civ. Rom. Lib. 2. c. 12. p. 335. qq; auctorem Florus lib. 1. c. 6. divisionis hujus Ser. Tullium fuisse censet; refellente, præter Plut. & Plinio l. 34. c. 1. & l. 35. c. 12. ubi disertis verbis Numæ hæc assignantur; ne jam dicam longe aliam constitisse Numæ, aliam Servio propositi rationem. vituperat equidem Numam Plut. ubi cum Ly-

70 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

cargo eum componit, p. 76. propter plebeias, confusasque descriptionis fordes; sed male vituperat, neque enim totius ea Reip. fuit descriptio, sed insimæ plebis, sœpe turbas in civitate miscere suetæ, quæ ut arcantur, consopianturque, cum omnium interest, tum hujus præsentim principis, qui pacem suo regno utilem esse, & necessariam arbitraretur. adantur, quæ de hoc collegiorum, & sodalitorum in Rep. usu (quod & ad Romuli institutum, de quo c. 7. §. 5. dixi, applicari potest) egregie differuit Arist. *de Republ. lib. 3. c. 9.* Serviana autem Tribuum descriptio, quæ heic loci præcipue est commenioranda, ad censum, & rationem comitiorum centuriatorum, quibus ille omnem Reipubl. potestatem tradere meditabatur, pertinuit; atque inde (ut hoc obiter addam), vexatissimus, nec intellectus, in quantum mihi quidem videtur, Livii locus est explicandus, l. I. c. 43. 12. 13. certe, cum centuriæ essent ratione facultatum descriptæ, cum eadem ratione in suffragium vocarentur, cum tributa non in capita amplius, sed pro censu conferrentur, & inexplicabilis futura erat in colligendis pecuniis confusio, & quod præcipue Servii regis adversum proposito, intellectum nimis fuisset plebeiis, pauperibusque grave illud, & quo gravius, eo ingratius disctimen inter se, locupletesque. atque præterea eo magis hæc Tribuum nominis, & rei quodammodo conservatio, Servio Tullio erat necessaria, ne a Romulo religiosis auctoritate constituta, temere movendo, & Senatum, & populum in se concitaret. Sane, prudentiæ sœpe esse, legislatores obliqua magis via ad pravas, aut inutiles consuetudines in Rep. abrogandas, melioribus mutandas incedere, egregie monet Vir Maximus, *de l'Esprit des Loix lib. 5. cap. 5. p. m. 87. sqq.*

§. IV. Atque hac occasione, cum h. c. §. 1. quoque dixerim, esse, quæ civitati augendæ præcipue inserviant, instituta; atque illud per civium copiam, multitudinem, atque robur, apprime obtineatur, (quod pro me hic dirimet ille inter principes sapientissimus, *Prov. XIV. 28.* amplissimum numero, viribusque populum regiam majestatem firmare, atque

que extollere, testis) dicendum etiam breviter erit de dupli-
ci Romuli, & Servii Tullii instituto, civitatem & numero
civium, & labore aucturis. itaque reperio Romulum, teste
Dion. Lib. 2. p. 88. seqq. hac ratione illud exsecutum fuisse
(ne jam de luco asylo, profugis omnibus aperto, hic dicam)
ut feverissima lege cunctis injungeret necessitatem, omnem
masculam, & filias inter primam genitam sobolem educandi,
neque ullam triennio minorem necandi, aut exponendi fa-
cilitatem concederet, nisi quæ jam principio mutila, aut mon-
stro propior non patri tantum, sed & proximis quinque vi-
cinis apparuisset. atque hic ego ut haud improbabilem cen-
seam Viri Ampl. Corn. ván Bynkershoek, sententiam, quam
proposuit in *Præf. ad Opusc. de Jure Vend. Occid. & Exp. Li-
beros*, p. 143. ita tamen etiam alia ratione discrimen hoc
expediri posse arbitrer, si statuerimus priorem legem de par-
vulis infantibus fuisse locutam, ne scilicet feroce homines,
ubi egestate premerentur, liberos, quos vix alere possent,
temere necarent, aut exponerent; postriorem adultos spec-
tavisse; neque enim teneros in infantes aut exercentur, aut
unquam exercita fuere ista supplicia, ut sequentia etiam ap-
probant. illud itaque Romuli institutum absque dubio eo te-
tendit, ut eo majori civium numero urbs augeretur, atque
frequens esset. bellatrix etenim civitas, quæ cotis initar sese
ipsam atterit, neque tamen præ inopia mercenario milite uti
potest, neque etiam propter alias status conditiones velit,
ampliori quotidie renascentium militum seminario, quam
quidem aliæ, indiger.

§. V. Atque huc etiam collimavit alterum, quo vetuit,
captis in bello urbibus puberes necari, aut sub hastâ venire;
agrumque earum μηλόβατον, ut Dion. Lib. 2. p. 89. relinqui
(de quo post quædam dicentur) sed colonos Romanos mitti
in agri partem, que forte inter ipsos distribuenda esset, & sic
hostium loco socios fieri; aliquas etiam inter has esse urbēs,
quæ in jus civitatis adsciscerentur. hæc utilissima, nisi plane
necessaria. I. uti dixi, magna civium frequentia Romanis
erat opus. II. in tenui hominum numero civitate, si in com-
munem

72 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

munem civitatis ruinam provoluti fuissent cives devictarum urbium, i. periculum, justusque erat metus, ne undique coadunatae reliquæ civitates, quæ circa Romanam erant postæ, cā vi in hanc inferrentur, cui resisti non posset. deinde ii. cum aridum, & vix aptum alendis civibus solum Romani colerent, si cuncta late vastassent, cultoribusque fecissent vacua, unde vitam sustentavissent, infestis reliquis, non fuisset; ne dicam, iis, qui magnum sibi Imperium parare atque acquirere studeant, a vastandis regionibus abstinentum esse, prudentiam civilem docere. docuit Alexander, docuerunt alii exemplo. v. quæ Vir III. de Montesquieu *de l'Esprit des Loix Lib. 10. c. 9.* iiii. denique, quod ad servos, par erat ratio, cum servis ad bellum nunquam usi fuerint, nisi ultima cogente, in secundo contra Pœnos bello, necessitate, Romani. itaque consultissimum erat, Imperium prolaturis, colonias partem in devicta loca emitti, quæ & ipsæ infimam fæcem exhaustent, & victos in civitatem acciri, & hanc eorum viribus augeri; quod unicum fuisse facile quivis perspiciet, qui simul intellexerit, adversum fuisse futurum & indoli, & fini Romanæ Reip. viæfis locis imposita præsidia si fuissent. & quam recte hæc Romulo consilia cesserint, ipse rerum eventus edocuit, quum, qui urbem condens tantum ~~111~~ M. peditum, ccc. equites sub signis habere potuisset, moriens ~~XLV~~ M. peditum, M. equites armis tractandis aptos reliquerit, si vera referat Dionysius; sicuti etiam id consilium prudenter exsequendo reliqui reges ad illam, quo post enīsa est, magnitudinem, Romanæ rei viam straverunt.

§. VI. Quorum quidem ultimus, sed præstantissimus, Ser. Tullius, cum censendis, inque varias clasles distribuendis civibus, tum horum in numerum adscendendis libertis, idem præstítit, & ita præstítit, ut hoc a tempore Romanæ magnitudinis incrementa vere computes. ut dictum jam fuit, varia, quæ in scriptoribus, qui res ab eo gestas tradiderunt, opposita, & pugnantia apparent, ita possunt conciliari, si recte ad propositum ejus attenderis, quale c. 2. §. 4. aperui. Instituti vero ratio prorsus erat necessaria. cum minor esset Romana res, nul-

nullum fere esse poterat aut oriri damnum, si cives æquali ratione omnes, in sua quisque curia, ferrent suffragium; hoc ipsa paucitate & tenuitate arcebatur; sed mutatis temporum conditionibus, aut legum conditiones fuerunt immutandæ, aut illa patienda, quæ post bellum Marsicum contigerunt, quæque pro solita facundia vivis depinxit coloribus vir Summus, des *Causses de la Grandeur des Romains, & de leur Decadence, cap. 9. p. 65. seqq.* cuncta si spectes, jam potentissima tunc temporis per Italiam fere erat Romana civitas. Sabinos subegerant, Etruscos domuerant, quorum in imperium Tarq. Priscus subierat. Latini sæpius vici; hinc civium mole laboraturæ Reipubl. subveniendum erat, id quod sic obtineri commodissime posse videbatur, si computatis singulorum bonis, hac proportione suffragii jus definiretur. huc illa accedebant, prout usus semper edocuit, locupletiores, qui modicis & lautis fortunis utuntur, longe magis sollicitos esse de defendenda Republ. cui addicti sunt, cum qua fortunæ privatæ ipsos connectunt, iis, qui, cum extrema premantur egestate, nihil fere, quod amittere possint, habent, quod cum vel hodie ita se habeat, longe posteriori jure valuisse credas iis temporibus, ubi viciis omnia erant metuenda. porro crescentibus Reip. viribus, & bellis bella serentibus, majori opus erat quotidie fere pecuniæ summa. hæc æqualiter in capita persolvebatur usque ad Servii Regis tempora. si conferre perrexissent omnes tributum pari ratione, pauperiores non oppressi tantum, sed perditæ, sed spoliati, sed eversi fuissent penitus; at vero liberos populos hæc in furorem, servo qui sunt ingenio, in desperationem, in rerum omnium incuriam, & sui, & civitatis quoque vertunt. quomodounque igitur, damnosissimo certe Romano nomini excitu cecidisset.

§. VII. Itaque summa prudentia, cum mentes hominum; ut §. 3. dixi, novis Tribubus, & conferendi hoc ordine tributi ratione, institutis, præparavisset, invexit censum; neque in Tribus & Curias, sed Centurias divisit populum, habita facultatum ratione, atque per hanc, quod ad bellum, ar-

74 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

morum genera per classes descripsit. artes, quibus ad ineundum civium numerum fuit usus, rettulit Dion. *Lib. 4. p. 220.* census institutus singulorum jurejurando (quod tum maximæ penes Romanos religionis) æstimatus, & gravi in incensos poena firmatus, teste eodem Dion. *I. c. Cicер. pro Cæcina c. 24.* Ulpian. *Fragm. Tit. II. §. II.* & adde, quæ dixit de necessitate cives centuriatos censendi V. C. de Montesquieu libro mox *Cit. c. 8. p. 60.* atque inde, cum singuli pro facultatum ratione forent in classes, & centurias distributi, mutanda fuit tributorum quoque ratio, ut in eisdem, qui plurimum in suffragiis possent, hæc inclinarentur, atque in hos præcipue etiam defendendæ in bello Reipubl. onus incumberet, quod ex armorum quoque ipso genere, quod singulis classibus fuit attributum, perspicitur, ut ditiores gravius, tenuiores levius essent armati; atque hæc omnia si attendantur, summo hæc usui Reip. erant, cum unusquisque excitaretur, ut industria sua fortunas augendo, illos, qui ditiorum erant, honores assequeretur. v. quæ dixit idem Vir Ill. *De l'Esprit des Loix Lib. II. c. 19.* plura jam non addo, cum ex his febre possit jam perspici, quænam alterius instituti, quod Dion. *Lib. 4. p. 226. sq.* recenset, fuerit ratio.

§. VIII. Ipse caussam adfert, civitatis utilitatem, Serv. Tullius, *d. I.* illi enim, ad imperium adspiranti, & bellicosæ quam plurimis opus esse civibus, ut domestico milite posset uti, atque hoc habituros, si in civitatem admitterentur liberi. enim vero quærere hic liceat, cum arma caperentur centuriatim, liberti, principio haud dubie inter pauperes habiti, quid in armis civitatem juvare potuerint; cum ex Servii instituto, quo locupletiores, eo potiores essent milites; pauperrimi, ut notum, a militia, tributisque essent immunes, & libertini etiam, nunquam, nisi gravissimis Reipubl. temporibus in militiam fuerint conscripti; ut ex professo ostendit Sigan. *de Ant. Jure Civ. Rom. I. 2. c. 14.* itaque possunt hæc intelligi, cum notum sit, filios eorum meliori fuisse conditione, quam patres, illos intendisse, qui seminarium militum civitati præstituri forent; aut etiam hæc potest afferri

ratio, noluisse Tullium civitari obturbari ab hoc hominum genere, quod sine dubio excludi se in totum a Republ ægre ferre posset, & ferret, quemadmodum aliis in civitatibus non semel hoc in nervum erupit; atque cum hos, tum aliam quoque plebem, concessio suffragii iure, delinire conatum, sibi que faventem habere; ut hoc ei de eo ipso hominum genere exprobrabat Tarquinius ap. Liv. I. I. C. 47. conf. Virum Ill, de Montesquieu *de l'Esprit des Loix lib. 15. C. 17.*

CAPUT NONUM.

De Institutis, Mores Civium temperantibus.

§. I. **S**uperiori capite monui, in civitate Romanâ necessaria fuisse civium præ aliis frequentiam; atque hoc impetrari legibus moribusque, quæ civitatem, aliis, quæ ci- vies intendant. De prioribus C. præc. de his nunc agam. ad hoc itaque obtinendum opus est omnino, modum illum maxime naturalem augendi civium numerum, legum ratio- ne definiri, tum etiam caveri, ut civitatis naturales incolæ in eum maxime modum effingantur, ut sibi, patriæque utiles possint evadere. de matrimonio me loqui quivis intelligit. Hujus enim rationem definiendi primam esse, in quod recen- ti civitate legum latori sit incumbendum, haud immerito ad- serit Plato *de LL. lib. 4. p. 545.* & primum quidem omnium providebitur, ne ferarum instar, incertâ Venere cives misce- antur, si quidem nihil magis cum omnis civitatis, tum etiam ejus, quæ bello studeat, fini adversum potest esse, quam hoc, ut ostendere egregie Pufend. *de J. N. & G. lib. 6. c. 1. §. 5.* præcipue, & de Montesquieu *de l'Esprit de Loix lib. 23. C. 2. & 6.* atque hac in caussa cum non illud tantum in censum ve- nire debeat, quas inter personas matrimonia contrahantur, sed etiam ut eadem sancte, casteque serventur, *quia demum iu- penates, ea civitas, id regnum aeterno in gradu facile steterit, ubi*

76 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

minimum virium Veneris, pecuniaeque cupido sibi vindicaverit. Cum, quo iste generis humani certissime pestes penetraverint, ibi injuria dominetur, infamia flagret, ut egregie Val. Max. lib. 4. c. 3. in princ. neque minus cavendum sit, ut suscepta soboles civitati evadat utilis, atque hac ratione & sibi privatim; haec vero omnia ut obtineantur in liberâ civitate, morum rigido, & ad stricto imperio sit opus, & quâ ratione in his versati sint Romanæ civitatis legislatores, videndum est, præcipuis hoc in genere delibandis.

§. II. Plurima passim sparsa invenies apud Veteres & Recentiores justis locis redacta, unde capita, sed paucis, tangemus. confarreationem, coëmtionem, & usum tres fuisse modos uxorem sibi nuptiis jungendi tritum est. priorem, maximô semper sanctimoniae honore habitum, censet Dion. lib. 2. p. 95. a Romulo introductum suffecisse unicum ad castitatem, concordiamque conjugiorum conservandam; de ritu post alios egit egregie Cl. Heinecc. in *Antiq. ad T. Inst. de Nupt.* §. 1--9. & prærogativas hujus connubii five ampliora commoda enumeravit. prolixè etiam Cl. Schulting. ad *Ulpian. Fragn. Tit.* ix. §. un. & Pithoeus ad *Coll. LL. Mos. & Rom. T.* xvi. §. 2. atque hinc in manu quoque erat mariti uxor, filiæ instar; & ut Dion. l. c. testis, intestato & ἀτένω morienti, ex assé; liberi si essent, & quâ lege cum his erat heres; sacrorum cum marito domestica communio, unde etiam reverentia connubii plurima, præsertim cum hoc, ut ii, quos excitavi, ostenderunt, nonnisi Sacerdotum auctoritate aut sociari posset, aut dirimi; unde *nuptiarum auspices*, apud Cic. *de Divinat.* lib. 1. cap. 16. atque in conjugio maxima erat in uxorem potestas mariti. poterat ille eam, ex lege Romuli, repudiare (quod uxori non licebat) teste Plut. in *Romulo* p. 31. si beneficio liberos sustulisset, si claves subjecisset (κλειδῶν in παιδῶν emendat Xyland. & ita vertit) si adulterium commisisset, imo forte ob temulentiam, vel si vinum tantum gustasset; addita tamen restrictio, ut aliis casibus pars bonorum repudiatae uxori cederet, pars Cereri foret sacra; d. l.

§. III. Atque in universum grave fuit mulierum Romanarum

rum fatum; (nostrates saltem existimarent) quæ utut honestice ab omnibus haberentur, ut liquet ex Plut. in *Rom.* p. 30. caussam addente; quum nunquam sui juris essent, sive patræ, sive maritali, sive tutoriæ potestati, atque auctoritati subiectæ; unde recte Major Cato pro L. Oppiā dicens, apud *Liv.* lib. 34. c. 2. *Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere fæminas sine auctore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum.* rari, aut nulli, nisi sacrorum caussâ, exitus, ut ex iisdem Catonis Consulis, & Valerii Tribuni orationibus satis perspicitur; vini abstinentia, ut dictum; si denique quid deliquerint, in levioribus caussis maritali, gravioribus etiam cognatorum subjectas fuisse judicio, *Dion.* l. 2. p. 95. testis; quod etiam tum ad adulterium porrectum fuisse existimem, innuptæ quæ essent similem in modum animadversioni sive patris, sive tutorum fuisse obnoxias certum. conf. quæ vir summus de *l'Esprit des Loix* lib. 7. c. 10--12. a quo eodem etiam observatum, apud Germanos veteres pari fuisse in propinquorum tutelâ fæminas, sic, ut his deficientibus, etiam in regiam tutelam venire cogerentur. v. etiam in *LL.* *Langob.* *Rotharis* *LL.* c. 182. 183. 186. 195. 196. 205.

§. IV. Neque minor etiam Potestas Patria in liberos, cum per totum vitæ tempus perduraret, cum patri liberum esset jus eos necandi, verberandi, ter vendendi, exponendi (ut V. *egypt.* vertit Vir Ampl. Corn. van Bynkershoek de *Jure Occid.* *liberos* c. 1. p. 147.) vindictum ad rusticum opus alegandi, siquidem cum liberi essent mancipi, atque adeo amplissimum Patris in illos dominii jus esset, quod in servos, & in liberos licere debebat. v. quæ Vett. loca V. A. l. c. adduxit (quemadmodum & apud Gallos, teste Cæs. de *B. G.* lib. 6. c. 19. *viri in uxores, sicut in liberos, vita, necisque habent potestatem.* atque patris judicium per se suffecisse ut appareat, saepius etiam tam propinqui adhibebantur in gravioribus præsertim causis, ut nihil temere aliquando statueretur. Exempla diutissime, etiam sub ipsorum Imperatorum tempora, exerciti juris, illi. Bynkershoek c. 3. & 4. & quos ille excitavit, accumulatunt; quod *Dion.* lib. 2. p. 97. memorat, claros viros sena-

78 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

tum ad populum criminantes, e Rostris a parentibus abducitos, poenâ pro arbitrio adficiendos; in animo habuisse videatur exemplum C. Flaminii Tribuni, de quo Val. Max. lib. 5. c. 4. quod tamen, me si audias, P. P. acceptum non referes, sed passum se detrahi Tribunum, nec impedientem popularem concionem, pietati potius in patrem, & facti admirationi attribues, quam juri; siquidem hoc cessisse Magistratus potestati notum est; & multo etiam magis Tribuni sacrosanctum corpus nemini lădendi jus erat. v. quæ ex Phil. Jud. Gell. & Valer. Max. dixit Ampl. van Bynkershoek in *Observ. J. R. lib. 1. cap. 18.* idem Fabii exemplum referente Liv. lib. 22. cap. 44. unde, qui apud Dion. lib. 8. pag. 546. Liv. lib. 2. cap. 41. Sp. Caſſium a patre damnatum necatumque arbitrantur, post depositum consulatum tamen omnes fatentur. ut vero cessabat per gestæ dignitatis tempus Patria hæc Potestas, ita subtractum, Numæ lege, quam *in ejus Vita* p. 71. Plut. rettulit, jus promiscue vendendi, his exceptis, qui patre approbante & jubente uxores duxissent. emancipationem denique, qua patrum potestas solvebatur, cum e Numæ lege, tum noti ritus, quinque testes efflagitantis, argumento ductus, saltem ante Ser. Tullii tempora vix obtinuisse arbitrare. etenim quinque illi testes, qui requirebantur, quinque primarum ex hac Servii divisione Classium vicem fungebantur, ut acute conjicit Ill. de Montesquieu *de l'Esprit des Loix* lib. 27. p. 126. v. Fest. in v. *Classici testes*; & quæ in aliam tamen fere sententiam, Cl. Schulting. ad *Caj. Inst. 1. 1. T. vi. §. 3.* quid, si tamen obtinuerit in Liv. Lib. 1. c. 32. reperias, fecialem bellum indicere debuisse tribus puberibus præsentibus, quos ego Tribus Rom. retulisse conjecterim. quid itaque, si ut post, qui classes referrent, exhibiti, ita tum in emancipationibus, atque etiam in familia veteri ritu, ut notum, emenda, tres adfuisse, qui Tribus, tum ternas, repreſentarent, dicas? totum tamen hoc non nisi mera suspicione, hucdum quidem, stare posse, quivis videt.

§. V. Atque, utut alii aliter aliquando in his sentiant, arbitrer tamen ego, & justa hæc, & necessaria instituta fuisse,

ad

ad ordinem, ad continentiam conservandam, tenendamque; atque, licet noverim, leges quascunque minime omnibus gentibus easdem posse, aut debere ferri, pluribus tamen in Rebuspubl. utilissima futura esse mihi quidem persuaserim. etenim nulla fere alia re, quam Patria Potestate, deque Moribus Judicio, mores, & per hos civitas Romana stetere. quod si non alio, vel eo solo constaret argumento, quod oppressa libertate, Imp. utrumque accidere sint aggressi, animadversione in servos quoque ademta, omniq[ue] illa in magistratum translatâ potestate. Conf. quæ Viri Ampl. van Bynkershoek de *Jure Occid. Lib. C. 4.* & Montesquicu de *l'Esprit des Loix L. 5. C. 7.* liberis enim perpetua hæc majestas reverentiam parentis insignem, & ipsis rerum experimentis, longoque temporum usu approbatam instillabant; si quid etiam delinqueretur, cum plerumque pietas paterni nominis consilium pro liberis capiat, ut est in *I. 22. D. ad L. Jul. de Adult.* arbitrari est, non nimis atroci poena, sed ratione potius, quam impetu, in liberos animadversuros esse patres; cum etiam illud in potestate liberorum esset, qui scirent absque alterius auxilio patrem de se posse decernere, ut vita recto exemplo componenda nullam, graviorem saltem poenam mererentur. circa servos idem procedet, ac liberos; quod quidem quam mite fuerit, & moderatum imperium, vel ex eo patet, quod cum servilibus procellis complures antiquitus civitates atrocem in modum exagitatae fuerint, Romæ tamen hæc nunquam contigerint, nisi postquam lapsis in luxuriam moribus Romanis, nec imperiorum modis esset, nec poenarum etiam, quod antiquissimis temporibus contrarium obtinebat.

§. VI. Neque vero minori prudentia circa mulieres cautum fuit a Romanis Legislatoribus, cum Legibus quidem, liberas esse, moribus autem, consuetudinibusque summopere coerceri, ex usu sit omnis bene constitutæ Reip. etenim utut Orientis populorum temerarium in leges divinas, & naturales ausum omnes cordati, & merito quidem damnent, ita tamen legibus & moribus, ut salva possit esse Respublica, providendum erit, ut in pudorem, modestiam, continentiam,

80 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

am, luxuriaz odium, mulieres imbuantur, ac

Ne vaga profiliat fraxis natura remotis

etiam legum, atque suppliciorum metu ad hæc adigantur, modum licentiae non facturæ, nisi publica fecerit auctoritas, ut recte Cato in citata Orat. ap. Liv. l. 34. c. 2. conf. quæ de Laconicæ Reip. hac in parte usu differuit Arist. de Republ. lib. 2. c. 9. in quod eo magis est incumbendum, ut hi animi, quibus teneros quasi cives educandi momentanea incumbet cura, & ipsi sic præceptis, rectisque exemplis imbuantur, ut illa deinceps in liberorum animos quasi transfundant, in quæ ipsæ teneræ adhuc mentes fuerint effictæ, quæque deinceps sancte ut colant, adigantur, atque hac ratione, *si in sua quisque matrefamilia jus & maiestatem viri retinere instituit, minus cum universis feminis erit negotii; nec domi via libera imponentia muliebri, publice quoque obteretur, & calcabitur;* ut iterum egregie Cato, in ejusdem orationis princ. atque huic rei egregie cavebatur, ubi absolutum jus erat maritis in uxores, patribus in filias, propinquis tutoria potestate in reliquas. a vino abstinentia lex erat localis, frigidioribus in terris, ubi sensus magis fere hebent, minus necessaria; v. quæ Plin. l. 14. c. 13. non ejusdem generis reliqua; adulterii quidem, quod apud Dion. L. II. p. 96. recte omnino Romulus, *αποτελεσθεντες αρχιων ενεμοι, judicium tum quoque, ut inde colligas,* fuit penes maritos, necessariis in consilium adhibitis, cum hujus ut publice postularentur, diutissime post invaluerit.

§. VII. Dicendum nunc esset de ratione liberos educandi; in quo paucissimis defungi licebit, cum notissimum sit, quanta olim hic Romanorum severitas; & duram omnino, asperamque fuisse oporteat in hoc hominum genere, quod aut bello vacare erat solitum, aut hoc defunctum, rusticis attrebatur laboribus, venationibus, armorum exercitiis &c de quibus omnibus copiose Viri Docti dixerunt, cum artes sellulariæ, Græcis quoque contemptæ, nec minus Germanis, Gallis, apud Romanos quoque spernerentur, neque nisi ab infi-

Infima plebis fæce exercentur, testante Dion. Halic. l. 2. p. 98. aliisque. reprehendit equidem Plut. in Comp. Numa & Lycurgi inf. illum, qui non pari fere ratione, atque hic, juventutem efformare in bonos mores fuerit aggressus; sed male, puto, reprehendit, quum diverso fini diversa media sint attenuanda; atque præterea, satis erat hac de re cautum illâ Romanæ civitatis primis accolis naturali vivendi ratione, a Romulo ad Remp. transducta, neque minus per Potestatem Patrum, eamque perpetuam; qui & exemplo præsentent, & jure coercere possent, cum id præsertim longo sit usu receptum, exploratumque, ubi leges scriptæ paucæ admodum, aut nullæ etiam sint, consuetudinumque memorâ pleraque notantur, senum maximam esse, atque præcipuam auctoritatem, quod vel ipsi Lacones arguerint.

CAPUT DECIMUM.

De Re Agrariâ Romanorum.

§. I. Cum Romulus, ut supra dictum, rei militaris, & huic succenturiatis Rei Rusticæ studiis cives imbuisset, atque illud plerique reges perpetuum deinde in Rep. tenuerint, eo consilio, ut & hac ratione ad belli labores indurarent corpora, & unde se alerent, habere possent, si quidem haec honestissima esse videbatur vitam per otium sufficiendi ratio, atque hoc etiam primarium legum esse potuerit in novâ civitate objectum, quæ illa, quam cap. i. §. 9. dixi, conditione frueretur; neque etiam non hac ex parte incolarum frequentia spectari possit, & debeat; illa erunt hoc jam loco, nec nisi breviter tamen, pertractanda.

§. II. Supra C. IV. §. 1. commonui, Romulum bina agri jugera in civium singulos, & sorte distribuisse quem colerent; quod quidem prudentissimum fuit consilium. etenim in illa Republicâ, ubi insigne variorum ordinum fuit intro-

L ductum

82 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE.

duorum discrimen, ut civilia, & sacra munia nonnisi unum aliquem in ordinem adscriptis pateant, æquandæ tamen sunt, in quantum commode fieri potest (atque id in recens conditâ civitate fere semper perfici potest) civium fortunæ v. Liv. lib. 21. c. 63. sic Veneti Patricii a mercatura severa lege arcentur. v. Amelot de la Houssaic *Hist. du Gouvernement de Venise* part. 1. p. 38. præterea, ut V. C. de Montesquieu de l'*Eprit des Loix* l. 23. c. 15. eleganter observat, regio incolis frequens admodum esse potest, ubi distributis æqualiter agris, licet parum florent opicia, necessitas civibus incumbit sui se prædii fructibus alendi; atque etiam illâ frequentior, quæ pecoribus pascendis sit aptior. id nullo negotio intelligitur, cum ampliora spatia terrarum minores colonis ex pecoribus fructus ferant, quam eadem confita. Itaque, qui exiguum, & tenuem agrum colerent, ut ea, quæ naturali necessitatì exemplandæ sufficient, sibi comparare possent, ante omnia debent intendere, unde etiam ea, quæ his usibus maxime ancillentur, majori erunt in honore, quam quidem alia, ut *quadrupedes quæ dorso, collove domantur*, Ulpian. *Fragm. T. xix. §. 1.* nim. boves, equi &c. qui & ruri colendo &c oneribus subvectandis præcipue utiles sunt. atque hinc eæ videntur mancipi, aliæ nec mancipi ab initio fuisse, ut supra quoque submonui, cum id discrimen a necessariis rerum pretiis fuerit introductum. v. V. A. van Bynkershoek de Reb. *Manc. & nec Manc. c. 2.* majori, ut notum, rei rusticæ, quam urbanæ (certo tamen respectu, ut supra dictum) semper honore. sic, ut hoc obiter addam, in Paulli *Sent. L. 3. T. 6. §. 71.* differentiæ ratio inter venatores, aucupesque, & urbana ministeria in legato ita collocatur, si quotidianarum epularum gratia in urbano habeantur prædio, h. e. voluptatis præcipue caussa, tunc deberi, alias rusticis accenserit. conf. l. 99. ff. de leg. 111.

§. III. Huc & illa possunt addi. Romanis ex mediterraneis locis fruges fuisse adserendas, ut c. 1. §. 9. ex Livio dictum; atque hinc institutæ a Ser. Tullio feriæ Latinæ apud Dion. Lib. IV. p. 230. si se ipsi non in totum alere possent, ex suis

Iuis agris; (erat omnino primis illis temporibus in illud unice incumbendum, ut quantum possent, pararent,) cum omnibus mercibus jam destituerentur, quibus permutare necessaria alimenta possent, quibus cum primigenius Civitatis finis accederet; recte Varro de Re Rust. Lib. 3. c. 1. non sine causa majores nostri ex urbe in agris redigebant cives suos, quia in pace a rusticis alebantur, & in bello horum opera tuta erant; ubi v. quæ dixit Celeb. Gesnerus. cum hoc in vitæ genere, ut Plut. Numa. p. 71. η τῆς πολεμικῆς ἐντολῆς τὸ πέρι ὑπερισχυτικῶν τῷ εἰδεῖ διαφέρει, ναὶ πάρεστι, τὸ δὲ εἰς αὐτούς, ναὶ πλεονεξίαν ανειμένην πνέονται. atque hinc etiam alia ratio elucescit rei rusticæ, urbis artibus, opificisque prælatæ, & ejus quidem in specie, quæ in colendis agris versatur. nim. si pascendo pecori præcipue invigilavissent Romani, fructus etiam inde præcipui in lanâ versabantur; quod iterum supponit ingentem artificum, sartorum, & quorum non? numerum, qui dum in otio laborant, quietisque artibus, desidia, viriumque penuria torpent, & ab omnibus veteris pariter, & recentioris memoria prudentiæ civilis doctoribus, quibus belli munia committerentur, inhabiles reputati sunt. adde omnino, quæ III. de Montesquieu *des Causes de la Grandeur des Romains, & de leur Decadence.* cap. 3. p. 16. sq. atque etiam vera ratio fuisse videtur, cur Romulus (ut c. 8. §. 5. dixi) vetuerit agrum ex hostibus captum relinquere, quod alii per vastum, & desertum, vertunt, ego, pecoribus pascendis, interpretarer, quemadmodum & hæc naturalis voce potest accidere notio.

§. IV. Quum itaque tanti fuerit usus res rustica, agrorumque cura Romanis, neqne illud est mirum, a regibus plurimum, ut hanc augerent, & promoverent, laboratum fuisse; quorsum jam a principio spectavit, non illa tantum agri Romani, auctore Romulo, divisio, sed &, quod supra dixi, institutum, ejusdem, quo ex hostibus captis ager viritim dividetur, atque coloni in loca capta emitterentur, qui & ipsi Romanæ civitati hac ratione prodesse possent. atque porro ut persequar, hæc quomodo sequentes reges presso pede secuti sunt, præter varias divisiones agrorum, captorum ex hosti-

84 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

bus, quæ a Vett. recensentur, (quodque non fuisset partiun regiarum, ex infesto in Romulum Senatu apud Dion. Lib. 2. p. 118. aliisque colligas) duæ fuere, quântum quidem succurrunt; prima Tullo Hostilio, apud Dion. Lib. 3. p. 137. altera Servio Tullio auctore, ap. eund. Lib. 4. p. 215. seq. & Liv. Lib. 1. c. 46. illa enim, quam Numæ memorat Lib. 2.. p. 145. minus forte versata est circa distribuendos agros, quam hortamen atque stimulum civibus addidit ad colendos. & Ser. Tullius quidem apud Dion. 1. c. rectissime, placere sibi agrum publicum, qui plebeiorum virtute partus sit, non, ut jam fiat, ab impudentissimo quoque occupari, nec gratis, nec quoque pretio comparatum; sed plebeiorum esse, qui agri adhuc exfortes sint, ut unusquisque non mercede serviat, sed proprium fundum colere posset; prius quippe liberis hominibus esse indignum, quum generosam indolem nemo queat ostendere, qui quotidiane de victu periclitetur; quæ si vera sunt, prout ex reliqua hujus Regis vitæ ratione videntur, jam tum oportet insedisse illum in civitate Romana morbum, qui postea, cum Tribunicis stimulis leges Agrariæ excitarentur, maximis cam sepe motibus agitaverunt. Itaque, quod ad hæc attinet, cum quotidie Roma accolis augeretur, facile apparet, non potuisse non plurimos esse, qui agri publici essent exfortes, ubi præsentim locupletiores plura, quam legibus esset concessum, in sese traherent; hæc ut aleretur multitudo, erat etiam necessarium, quod non alia ratione assequi poterat, quam si bello militaret, quod non perpetuum, aut artibus manuariis, incumberet, ex quo genere neque illis temporibus lectos fuisse milites arbitror, ob ea, quæ sapientius jam dixi, neque alios fere, quam qui agros haberent; quod & illud fuisse, quod Ser. Tullio, ut supra dixi, animuni addiderit cives censendi, centuriandiique; atque hoc & illud addere possit, quod L. Æmilius ap. Dion. lib. 9. p. 607. utilitatis publicæ esse, ut juventus educaretur in domesticis & sorte propriis prædiis, ut recte educata eo maiores gereret spiritus. inopes enim, qui que ex alienis possessionibus, qua mercede colant, nutriantur, aut multo sustipiende sobolis amore duci; aut si ducantur, malos, & infe-

infelices provenire fructus ex tenui conjugio, qui mendicam vitam protrahere cogantur.

§. V. Itaque & Agrariæ leges in Civitate Romana cum opportunæ erant, tum quoque necessariæ; neque pravos effectus sortiri poterant, quos temporum conditiones aliquando libera Republica iis apposuerunt. quot cæteroquin jugera post primam illam Romuli divisionem singulis tribucentur, ignoro equidem; eundem tamen suis numerum conjecterim, cum quod æqualis hæc divisio fundamentum esset totius per Curias, & suffragiorum æqualitatem constitutæ civitatis, tum quod ne lege quidem Licinia amplius plebi sit postulatum, ap. Liv. lib. 6. c. 36. atque hinc etiam minime mirum est, Rei Rusticæ studio Reges tantum non omnes imbuere cives suos esse conatos, Numam præcipue, Ancum Marcium, & Servium Tullium, quorum hic LL. Romuli & Numæ, quæ huc sine dubio facerent, in usum revocavit, teste Dion. l. 4. p. 216. alter candem incudem tundens ad agros colendos majori cura, quam sub bellicosissimo principe Tullo, qui etiam crederet, militia, quam domi salubriora esse juvenum corpora, ut est in Liv. lib. 1. C. 31. fuerat factum. primus egregie propositum exsequutus est, eo modo, quem exhibent Dion. Lib. 2. pag. 135. & Plut. in ejus vita p. 71. cum omnem agrum in pagos distribuisset, præfecit singulis inspectorem, qui agros obeundo, qui bene, qui male culti essent, quum inspexisset, ad regem, & ipsum has obeuntem partes, deferebat. is industrii qui essent, multis laudibus excipiebat; ut Plut. addit., & ad honores provehere solitus; malos, & ignavos castigando, atque etiam multa dicta plectebat. parili ctiā ratione Sinarum Imperator, eum, qui ruri colendo præ cæteris: omnibus excelluit, in octavum ordinem Mandarinorum cooptat, atque ipse etiam quotannis solenni ritu agrorum cultum ausplicatur, uti hæc prolixe edisserunt in *Geographia Historica*, Tom. IX. in *Chorogr. Sinarum Imperii* lib. 3. c. 2. §. 2. p. 82. sqq. vers. Belg. addantur, quæ dixit Vir immortalis fax, de Montesquieu, *de l'Esprit des Loix* l. 14. C. 8 & 9. his & hæc addidit, ne rogi vino respergerentur, neque diis libare-

86 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

tur ex imputata vite, ut Plin. *Hist. Nat. Lib. 14. C. 12.* pro-
dedit, cuius rei erat ratio, *ut putare cogarentur, alias aratores,*
& pigri circa pericula arbusti. v. *Mascov. ad Gravim. Orig. Jur. Civ. lib. 2. C. 22 p. 167.* & aliam majoris adhuc momenti ra-
tionem expiscari licet ex his, quæ dixit, quem modo landa-
bam, V. C. de l'Esprit des Loix lib. 22. C. 14. atque idem,
ne inter feroce viros de possessionibus rixæ forte gliscerent,
lege lata de terminis prædiorum, impedivit, admista religio-
ne; siquidem lapides, quibus singula definirentur, Jovi Ter-
mino sacros esse voluit, quos si quis ausus fuisset exarare,
ipsum, bovesque ejus devovit, concessa sacrilegum contruci-
dandi impunitate, ap. Dion. lib. II. p. 133. & Plut. in Numa
p. 70. atque, ubi lis incidisset de terminis, hujus judices esse
voluit, & finitores Fratres Arvales; agrorum etiam descri-
ptionem egit, ut supra dixi, Ser. Tullius, sed alio plane pros-
posito.

§. VI. Ex his autem omnibus probe consideratis, & hoc
elicias, Romanos primis illis temporibus horridos, nihilque
nisi ferrum, & arma meditantes, ad quietam, & domi labo-
riosam vitam vix potuisse adduci, siquidem in Tulli Hostili regno in tantum jam ab ista Numa pace fuerat degeneratum,
ut Ancus rex vix istos posset ad rura subigenda adigere, ut
illis certe verum esset temporibus, quod Plin. *Hist. Nat. I.*
19. c. 4. judicatum a priscis, nequam esse in domo matrem
familias (etenim hanc curam fæminæ dicari suisse solitam) ubi
indiligens esset hortus; quibus adde Colum. *de R. R. Lib. XII.*
in princ. & iis hominibus, quibus, non arare terram, aut ex-
spectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes, &
vulnera mereri - delegata domus, & penatum & agrorum
cura feminis, senibusque, & infirmissimo cuique e familia, in Tac.
de Mor. Germ. conf. que jam dixi *c. 2. §. 9.* unde neque
mirum est, tantum contemptum artium manuariarum, quas
vocant, & auctoris existimatione, & natura iis insedisse, ut
longo tempore illis vacare noluerint, sed servis, atque ex-
teris exercendas hasce tradiderint, teste Dion. *Lib. II. p. 98.*
quo de loco multa Sigan. *de Ant. jure P. R. Lib. 2. c. 12.*

p. 339. *segg.* de Numæ instituto, quo opifices omnes in collegia divisi sunt, supra, quod satis esset dictum.

CAPUT UNDECIMUM.

De Legibus Romanorum, & Jure Regio.

§. I. **Q**uum in omni civitate id sanctum, constitutumque sit, aut esse debeat, ut certa sit & constans ratio, quâ moderante de singulorum fortunis judicium fieri possit; atque illud etiam, uti, quo vitam, fortunas, libertatem, existimationem, salva se & perpetua tenere posse in societate civili cives sint persuasi, id ipsum in Romana civitate qua consisterit, jam investigabimus, quam quidem potest brevissime, cum Merula, Gravina, Ant. Augustinus, Rævardus, & qui non alii? hic otium fecerint, atque complura passim jam hac in Diff. sim exsecutus. præterquam quod omnia, quæ hic adferri possent, misera diligentia persequi jam minime lubeat, & tanta hoc in negotio caligo plerumque oculis se offundat, ut quo te vertas, quid teneas, persæpe nescias. Itaque, ut per rerum capita tantum eamus, considerandum hic erit, non amplissimam esse potuisse LL. Civilium materiam, quum pleraque aut arbitrio regis dijudicarentur, aut etiam, si quæ essent, fere omnes jus publicum, jus sacrum, moresque spectarent; quum litibus ingens materia foret præcisa, nulla commerciorum frequentia, atque tot perplexis de acquirendi jure nondum explicatis disceptationibus, illæ etiam, quæ in delictorum, criminumque caussis versandis occupantur, atroces plurimum, & feræ, utpote talii etiam moribus populo, latæ fuerint. Sic parum est probabile, v. c. an testamenta condita fuerint, ubi plana & facilis inheritance (v. Varr. *de Re Rust.* l. 1. c. 10.) succendi via erat, & lege præterea firmata; sicut de Germanis Tac. *de Mor. Germ.* Cap. 20. memoria prodidit. Uni enim cuique, hoc in civita-

88 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

tis genere, ut agri æquis partibus starent, res poscebat; quibus tamen jam mature fraudem fieri cœpisse, Ser. Tullii oratio apud Dion. Lib. iv. p. 217. nec non relatæ Romuli & Numæ leges, agerque denuo eo carentibus plebejis divisus, ostendunt.

§. II. Ab eodem, cum plebeji fœnoris nodis a patriciis premerentur, prospectum est, legibus quinquaginta de contractibus, & injuriis, Curiatis Comitiis perlatis, quas recensuerat, vellem, qui tangit, Dion. eod. Lib. p. 218. abrogatis una cum reliquis ejusdem legibus per Superbum Tarquinium, apud eundem, D. L. p. 245. hæ autem a principe libertatis & æqui amantissimo profectæ, erant egregiæ, cum publice propositis legibus caveretur, ne temere plebeji possent in contractibus circumveniri, neque corpora libera a foeneratoribus superbis, & crudelibus coerceri vinculis possent, aut flagris, providit. in judiciis etiam, quæ arbitrio Regum, aut eorum, quibus hoc potestatis delegabant, ferme peragebantur, ut supra dixi, a se rejectis, nisi publicis in causis, leges imposuit, quibus non tantum judices, sed & ipsi Reges, ut Tac. Ann. l. 3. c. 26. cogerentur obtemperare. atque hac demum ratione Ciuium Libertati accessit apex, ubi non arbitriis, sed legibus causæ dirimerentur, neque superbis sèpe creditoribus corpora essent obnoxia, sed bonatantum. etenim, quum magnus esset civis honos Romani, majestatis quandam quasi particulam in se derivantis, contra omnem rei naturam erat, eum ab his, qui pares tantummodo ipsi essent, posse pro arbitrio coerceri, & suffragii jure ut destitueretur, effici. hæ præterea injuriæ cotendebant tandem, ut nemo vellet pro superbis, crudelibusque hominibus arma capere, aut ea urbe, in qua nihil, quod proprium sibi commonistrare possent, relinquoretur, ut plenæ sunt harum plebis querelarum Liviani sex priores, & septem posteriores, Dionysii Libri.

§. III. Enimvero objicias hic, non esse, quod in tantum Servii regis prudentia & æquitas celebrentur, siquidem, ut ut latæ ab eo leges a Tarquinio fuerint abrogatae, a Coss. tam

men restauratas memoret ipse Dion. l. 5. p. 278. postea idem foenebre malum, idem judiciorum regnum in plebem incubuerint. parum his ego quidem moveor, quum id apparet, Patres in hæc tantum annis fuisse, ut populum, in quo plurimi Tullium regem vidissent, & gratam beneficiorum memoriam mente retinerent, hac specie delinirent, sibi que conciliarent. non ausim negare, quum id diserte affirmet Dionysius, fuisse quasdam relatas leges, sed potiores omissas fuisse ausim contendere, eo magis, quod ipsi Coss. judicia civilia in se iterum traxerint, eademque post fævierit fœnecratorum licentia, ut alia taceam, v. Liv. Lib. 2. c. 27. & Dion. Lib. 10. p. 645. & res apparebit. atque (ut hoc obiter addam) qui Tribuni Legi Terentiae adeo incubuere, opponas, cur non revocari Tullias leges jussierint, potius quam, ut longo terrarum tractu repetituri irent legati, & Patricii quidem enimvero id ego arbitror astitissimo a Senatu consilio fuisse effectum, quod & inde species, quum leges daturum neminem, nisi ex Patribus diccerent, ap. Liv. Lib. 3. c. 31. sic enim leges dari poterant, quæ suum ad arbitrium magis essent attemperatae, quibus, quum e longinquuo adferrentur, major esse honos, major circumfundi ad populum posset reverentia. conf. quæ C. 5. §. 16. jam dixi.

§. V. Atque in judiciis quidem, cum antea Regum arbitrio, ut post Coss. de sententia dirimerentur, ferocibusque etiam animis homines uterentur, delictorum peinas severas admodum esse oportuit; prout etiam capitinis supplicia quamplurimis in cauillis fuisse representata invenias. sic Romulus, qui ap. Tac. d. l. ut libitum imperitaverat, ταχεῖς ἐποιεῖτο τὰς ξύστες, ut est ap. Dion. l. 2. p. 99. & commissa delicta e vestigio & sevre vindicabat. add. Plut. in ejus vita p. 34. Numa capitinis poemam dolo homicidii irrogavit, quæ lege reas post fuit Horatius; idem terminos qui violassent, idem subire justit suppli- cium, permisla hos occidendi impunitate, ut supra dictum; prout idem juris jam ante concesserat Romulus in eos, qui Patroni, vel Clichtis officia violassent, ap. Dion. lib. 2. p. 84. ipse quip etiam sub regni initium Ser. Tullius in propriâ

90 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

Anci Marci filios judex damnavit, teste eodem l. 4. p. 211. atque, utut postea sine dubio hæc ab ipso videantur suisse correcta, ut §§. præcedd. dictum, omnia tamen turbavit iterum, rejectis frugibus, ad glandes reversus latro Tarquinius, qui & anteriorum regum more cum magis fere necessarium esset, aspera ingenia asperius coerperi, sed dein, mutatis his, mutandum esset & illud) judicia exercuit, & etiam gravius adhuc populum pressit, novis quoque pœnatum modis inventis, ut prodidit Isid. Orig. l. 5. c. 27. imo ingeniosa in has immanitate, cum populo ad cloacarum labores adacto, multi præsentium rerum tædio vitam sponte finirent, mortuos crucibus suffigi iussisse, ut infamia metu colla tamen tyranno subderent, Cass. Hemina, laudante Feso in v. Carnifex, memorie prodidit. enimvero his, aliisque rebus effectum est, ut ipse tandem regno dejiceretur, simulque cum eo regium imperium in civitate occideret; quod quibus de causis, quoque jure fuerit perpetratum, sequenti capite ut excutiam superest.

CAPUT DUODECIMUM.

De Regni Romani Occasu, ejusque Causis.

§. I. **R**egale civitatis genus, quondam probatum, postea non tam regni, quam regis vitiis repudiatum, ex Cic. de LL. Lib. 3. c. 7. supra attuli. id quum jani sit expedientium, primum monco, non unam esse causam interitus civitatum, earumdemque mutationis, de quibus egregie pro more dissertuit Ill. Pufend. de J. N. & G. L. ult. c. ult. aut enim illud evenit, si virtuosæ civitatis forma sua natura ad mutationem, interitumque feratur; aut etiam, si recte quidem fuerit ordinata atque descripta, sed tamen indoles corruptatur, atque ita in perniciem ruat; id quod denique sic contingit, si, aut vis desit sua legibus, ut quantumvis recte atque

DE REGNO ROMANO.

91

atque bona, tamen ab hominibus temerarie perfringantur; aut si subita quædam vis, ac calamitas illata totam civitatem evertat. itaque hæc ad principia si Romanam civitatem expendas, verum csc & illud reperies, quod ex Cicerone mox dixi, atque ad posteriorem speciem caussam occasi regni pertinere; itaque breviter inspiciemus, quænam in civitatis constitutione, atque administratione resederint vitia, deinde an illa apta fuerint, hanc rerum conversionem ut gignerent, an vero alia potior fuerit caussa.

§. II. Atque hic quidem legum ferendarum potestatem, exsequendarumque quod attinet, non fuit certe recte descriptum, distributumque jus tributorum, nec majori prudentia relicta judicia &c. quæ supra dixi; quæ reliquis regis juribus accensita, ut hæc quidem per se modica erant nec nimia, ita illa addita, nimium per se, gravemque liberæ civitati Principem efformare poterant. Quum tamen Romani per illud temporis spatium tyrannidis jugum non subierint, breviter hujus rei in causam inquirendum. & primo quidem, qui ad Tarquinium usque imperavere, modesti, compositique principes omnes fuere, neque civibus graves, quique insuper ob oculos haberent exemplum ipsius Regni auctoris, Romuli, dum herile affectat imperium, truculentâ morte discerpti. non videbatur præterea ferox populus, & origine liber, passurus, ut in sc servorum, aut pecudum ritu, inhiberetur imperium; atque hæc quotidianis bellis dum alebantur, etiam regi vix fuisset otium ad cogitata, si quæ secus intenderet, perficienda; quibus & hoc addas, cum electitum foret istud regnum, & unâquaque vice, defuncto rege, in consilium statim, iretur non de novo aliquo rege eligendo, designandoque; sed an consultum esset, aptumque temporibus Reip. hanc manere Imperii formam, an vero aliam esse inducendam; & tum, nulla prorsus habitâ generis, regiæve stirpis ratione, Rex libere designaretur, poterant omnino ciues, si forte priori in regno minus bene se acceptos putarent, huic incommodo obviam ire, quod præcipuum electitii principatus præhæreditariis bonyment, commodumque, quodque illi scriptores.

92. SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

res (qui ut electitorum regnum crearent humano generi odium, Poloniam, puto, in exemplum seleggerunt) detorquere, aut exire semper conantur; ne addam, quæ supra dicta, quâ ratione Regis, Senatus, Populique mutuis fuerit devincta & connexa vinculis potestas, ut haud facile alter in alterum aliquid infestum moliri potuerit; & post Ser. Tullii regnum solidior adhuc, arctiusque constricta fuerit.

§. III. Itaque unice repetendæ sunt causæ a Tarquinii sceleræ mutatae Reipubl. convulsione regni, quemadmodum sibi Deo Opt. Max. pro sua erga humanum genus benevolentia placuit artium tyrannicarum successum in nefanda capitali retrorquere. atque verissimum est, commotos per efferam ejus rabiem omnium animos spectavisse ad seditionem, si dux tantum adesset, movendam; id quod opportune factum, compresa turpiter Lucretiâ a Sexto ejus filio, dum ipse tyrannus aberat, regni evertendi consilium & occasionem arripuere, ut notum est, Brutus, proceresque alii. Atque hoc minime mirum, siquidem ea ab illo toto sui imperii tempore perpetrata essent, quæ ne patientissimi quidem servitutis homines pene possent perferrre, nedum ii, qui Auream Humani Nomini Libertatem cum ipso quasi lacte combiberant. Exteris ille, qui & civibus se credere non auderet, & illos tyrannis promptissimos esse perspiceret, stuperbatur; quoscunque non odisset modo, sed tyrannidi adversos timeret, aut suspicaretur, aut quibus unum crimen essent opes, interficiebat, aut in exsilium ejiciebat, cum ipse, ut Liv. Lib. I. c. 49. judicia, etiam in capitib[us] caussis per se solus, & domi exercebat (hæc enim iis temporibus tyrannidem exercendi erat ratio; hodie, mutatis moribus, alia est) nec Senatum unquam, nec Populum convocabat, quæ prima est, atque princeps in absolutam potestatem intendentibus cura, quod in Franciâ consummata, in Britanniâ sæpe tentata, sed & cum sæpe ante, tum præcipue memorabili Anno 1688. ductu, auspiciisque Incomparabilis Principis WILHELMI III. penitus, & fortissime repressa calamitas, ut tot alia præterea, exemplo docuerunt. Atque, cum ille præterea servili laborum

ge.

genere populum obterere esset aggressus, minimè etiam mi-
rum est, rem ad defectionem spectavisse, primâ quaque oc-
casione in nervum erupturam, auctore Dion. lib. iv. p. 261.
conf. quæ dixit Vir Ill. de Montesquieu, *des Causes de la
Grandeur &c. c. 1. p. 3.*

§. IV. Atque hic illud quærendum superest, jurene an in-
juria Reges fuerint exacti? disquirente præter alios, atque etiani
negante Celeb. Pufendorfio *de F. R. R.* §. 7. enimvero om-
nia Imperia, cum in absoluta, & legibus adscripta distin-
guant prudentes, atque in illis sine dubio liceat solio detur-
bare tyrannum, multo magis in his licebit; præsertim ubi
Princeps nulla juris specie, sed aperta plane vi, qualis Tar-
quinius, in imperium irruperit, atque hoc quidem ubi uni-
versum, & pro arbitrio exercendum Regi fuit delatum, sem-
per intelligenda est lex commissoria generalis, ut si talia, quæ
civitatis commodis plane adversari appareat, & privatæ tan-
tum utilitatis gratia perficere instituerit, & hostilem in cives
animum induat, jure posse imperio exui; sin Remp. et si suo
plane arbitrio, recte tamen gerat, subditi obedientiam præ-
stare teneantur. cum vero, si in hominis naturam inspicias,
raro admodum possit contingere, ut is, qui absoluta pot-
estate gaudet, cuncta tamen ad publicam utilitatem dirigat;
longe prudentius hi quidem populi, qui imperium arctis le-
gum nodis adstrinxere, atque illis conditionibus, ut quam-
diu harum ad normam, arbitriumque Principes impetrant,
cives etiam iis pareant, eosque contra omnes hostium pa-
riter impetus atque perniciosorum civium molimina omni-
ope defendere annitantur; sin illas spernant, sin evertant,
atque quacunque ratione se supra illas efferre conentur,
nemo amplius morem iis gerere teneatur, cum hoc ipso.
ad privati civis conditionem redacti intelligentur, quos e-
tiam, si ex usu fuerit Reip. ab ejus administratione remo-
vendi jus populo erit. Neque vero hæc præcepta, quod
nonnulli dictitant, seditionibus viam pandunt, cum certum
sit, in justo imperio cives, nisi gravissime pressos, ad vim
non convolare certum sit, hos longe majori amore Imperantes

94 SPECIMEN POLITICUM INAUGURALE

prosequi, quam illi, qui in Despotis, sive Tyrannicis Imperiis vitam degunt, quorum nemo Regis, aut Regni, sed suum tantum intendit commodum; certum etiam sit, his de rebus suffragia ferre non insimam, turbulentamque plebem, sed florem plerumque virorum, quibus toto e populo deletis jus legum ferendarum, earumque tutela committitur. Tot profectio & tanta Imperantium monstra, nefandasque libidines tam diu, tam saepe perpassus orbis satis ostendit, ne pessimis quidem principibus saepe multum esse periculi, nedum bonis: atque si quod in illos ingruat, habent, sibi quae damna imputent, quae in propriam perniciem maleficiis ipsi arcessunt. Ista, quae tam saepe jactata est, Regum sanctitas, putidum est, & insulsum adulotorum somnium & commentum (ut egregie Hutcheson. *Elem. Phil. Mor. Lib. III. c. .*) quod ignavia peperit, superbia educavit, vis auxit, & conservavit; imo, si quae est, ea unis tantum populis, & quamdiu his placet, debetur. Sed pudet fere hac in re plura congerere, post ea, quae Sidneji, Buchanani, Barbeyracii, Hotomani, atque alia aeterna civilis scientiae decora plena manu huc attrulerunt, cum & hinc satis posfit superque perspicuum, qui per se unum, atque oppressa per vim civium suorum libertate, ad imperium evasit, non ultra, quam donec adfuerit excutiendi iugi occasio, esse ferendum; uti & illud nullius esse momenti, quae Cl. Pufend. adfert, ultionem stupri nondum fuisse a Tarquinio postulatam, neque exploratum compertumque habuisse Romanos, quid ea de re ipse sentiret; hic scilicet, qui incestis nuptiis, qui socii parricidio, qui Gabiorum ruinis, qui tot egregiorum virorum cædibus, aut exsiliis exemplum sceleris imbuisset? qui regno haud alia ratione parro, firmato, gesto, ipse æque diris, aut atrocioribus flagitiis esset obrutus? merito generosi Libertatis Romanæ vindices, qui iis erant temporibus nati, quibus haec portenta adhuc ignorabantur, non commisere, ne suo sibi jumento graviora etiam prioribus mala arcesserent, aut ille scilicet in melius mutaretur; sicuti neque Batavis meis fuit.

exspectandum, ut Hispanæ belluæ mansuetæ rabies, jura pristina Reipublicæ restitueret.

§. V. Quam quidem inter infesta circum plurimorum arma & odia, per PRIMUM, TERTIUMQUE WILHELMOS, Brutos Patriæ, Camillosque; BARNEVELDIOS, WITTADAS, & tot alios per revoluta sœcula Libertati sacros Heroas, magnis animis recuperatam, firmatam, auctam, defensam, ut fortiter prudenterque tueatur Augustorum Septem Civitatum Procerum auspiciis WILHELMUS QUINTUS, auspicatum Belgis nomen, per illos, qui que ante tres hos annos instauratae, quam Fæx BATONIS turpiter convellerat, Reipublicæ maturata fati calamitate ereptus est, Parentem; utque Majestati Publicæ comitem Sacrum LIBER-TATIS Ignem, per infestos hostium, & civium gladios toties ereptum, ille, qui toties præsentि auxilio hanc florentissimam nostrum omnium Patriam afflictam recreavit, jacentem erexit, crescentem prospero rerum successu adjuvit & adauxit, supremus hujus Universi Auctor, & Moderator, ad seram sœculorum memoriam, & hujus orbis suprema fata perenne sineat, & ego, & mecum omnes Patriæ, & Libertatis amantes in votorum summa reponunt!

T A N T U M.



THE

THESES.

- I. *Recta ratio est infallibilis.*
- II. *Nullum potest Jus Naturæ concipi, nisi detur Deus.*
- III. *Non dantur leges positivæ universales.*
- IV. *'Autoxupia non est licita.*
- V. *Polygamia neque Juri Naturæ, neque Societatum fini est consentanea.*
- VI. *Succedendi in propinquorum bona causa, & ratio mere civilis est.*
- VII. *I. Sam. viii. 8. sqq. non verum Regum jus, sed magis dominatio, qualem semper perpeccus fuit Oriens, proponitur.*
- VIII. *Principes legibus non sunt soluti.*
- IX. *Neque etiam fuere apud Romanos.*
- X. *C. Julius Cæsar summo jure fuit interemptus.*
- XI. *Regna patrimonialia jure non dantur.*
- XII. *Formulæ Renunciatoriæ, a Principibus cum suo, tum posteriorum etiam nomine conceptæ, omnino validæ sunt, & esse debent.*
- XIII. *Jus Præcedentiae nulli Principi præ altero per se competit.*
- XIV. *Ad Legis Civilis essentiam non pertinent præmia, ad earum se normam componentibus, spondenda.*
- XV. *Jus Aggratiandi, quod vocant, non videtur summis Imperantibus temere denegandum.*
- XVI. *Ut bellum juste, pieque geratur, non prorsus est necessaria solemnis clarigatio.*
- XVII. *Victoria neque occidendi viertos, neque in servitutem eos redigendi jus vitori concedit.*
- XVIII.

- XVIII. *Ostracismus*, a Græcis quibusdam civitatibus quondam receptus, a nonnullis temere reprobenditur.
- XIX. *Dictatorem Romanum provocacioni ad populum non fuisse obnoxium*, etiam post Legem Horatiam, arbitror.
- XX. *Verba Legis XII. Tabb. quæ de Sectione Debitorum agunt, non de corporum laniendâ, sed de distra- hendo inter creditores venditi debitoris pretio acci- pienda esse, longe probabilius, nisi plane certum, est.*
- XXI. *Pœna gravior, per LL. Rom. manifestis, quam non manifestis furibus inficta, a Spartanis originem forte duxit.*
- XXII. *Jam sub prioribus Impp. præcipue Trajano, baud licuit patribus pro arbitrio in liberos animad- vertere.*
- XXIII. *Merum Imperium specialis, Ex lege, est man- dati.*
- XXIV. *Transactiones in caussis testamentariis valent, etiam si ineantur ante inspectum testamentum.*
- XXV. *In testamentis, per æs libram conditis, ve- ra, non imaginaria venditio videtur olim obtinuisse.*
- XXVI. *Pœna nomine legari fuisse solitum, cum hæ- redi injungeretur rei illicitæ, probrosoque præsta- tio, probabile est.*
- XXVII. *Causæ liberales jam ante L. 2. C. de pedan. jud. fuerunt ordinarii juris.*
- XXVIII. *Pœna adulterii non videtur fuisse capitalis an- te l. 16. C. de Pœnis.*
- XXIX. *Peculii quasi castrensis origo non videtur a Justiniano demum repetenda esse.*
- XXX. *L. quisquis Cod. ad L. Jul. Majestatis ne temporum quidem ratio prætendi potest.*

NOBILISSIMO ET ERUDITISSIMO
VIRO JUVENI
JANO ANTONIO HELVETIO,
VATI TERSISSIMO,
J. U. D. creato.

Lis fuit orta Deas inter. Permittite Divæ
Hanc mihi carminibus commemorare novis.
Consedere simul Themis & doctissima Pallas
Et Dea Pegaseis culta Thalia viris.
Astrææ genetrix Helveti scripta sagacis
Contemplata sui talibus orsa fuit:
O Dea de cerebro summi prognata Tonantis,
Tuque Poetarum deveneranda choro.
In Trajectinis meus est Helvetius oris,
Pandit & ingenii plurima signa sui,
Hic mihi præ reliquis est spes columenque Deabus,
Justaque legitimi crescit ad arma fori.
Hunc juvenem merito dulcem mihi grator alumnus,
Nec parili vestrum Numen honore colit.
Ast mage (respondet mox Musa) Poeta sorores
Candidus hic mecum diligit usque meas.
Qui didicit cytharæ tremulas impellere chordas,
Quum dedit incultos non nisi lingua sonos.
Quamque tuum placuit studium perquirere, totum
Se prius Aonio dedidit ipse choro.
Non opus est verbis; teneri quæ suada Properti
Carmina commendat pignera certa dabunt.

Pro-

Protinus his dictis soboles Jovis excipit illam:
Credite vos tangit gloria falsa Dcæ.
Est meus ille; meum decus hic prægrande manebit,
Illi & soli cura gerenda mihi est.
Integer hic vitæ, sceleris nec labe notatus,
Nam mihi cum precibus pinguia thura tulit.
Volvere quid prodest confusa volumina Juris?
Pieriis prodest quid cecinisse modis?
Addita ni fuerit nostrum sapientia munus,
Quam lubuit juveni conciliare mihi.
Arbiter eligitur divinæ litis Apollo,
Dirimat ut caussam, judiciumque ferat.
Dixit & : Hic pariter Themidi pariterque Minervæ
Serviit, & nostro cara Thalia choro.
Viribus hinc illum junctis adamate benignæ,
Ipse etiam juveni semper amicus ero.
Sic sapiet vere, cunctisque canetur in oris,
Optatam viduis tutor & addet opem.
Carminibus teneras poterit mulcere puellas,
Garrula sic cytharæ fila movere suæ.
Nescius ille mori vivet post fata superstes,
Ridebit structos in sua fata rogos.
Helveti accipias placida mea carmina fronte,
Fatidici voveo sint rata verba Dei.

HERM. GER. OOSTERDYK;

Med. Doct.

AMICO SUAVISSIMO
JANO ANTONIO HELVETIO,

Poëtæ facundissimo

Cum Jctis solemniter adscriberetur.

Et si me Latii tenebrosa aenigmata juris
Pegascis nolint invigilare choris,
Et mihi, dum variis mens æstuat anxia curis,
Vix libeat lætis nectere verba modis.
Te tamen exiguo, doctæ lux clara juventæ,
Excipiet Festo munere Musa die,
Nec prius hic paries olim dilecta tenebit
Quam fuerint laudes plectra locuta Tuas,
Quam fucrint sero raras testata nepoti
Ingenii dotes, dulcis amice, Tui.
Hoc meruit primo qui nos bene junxit in ævo
Vix etiam Batavo candor in orbe super,
Hoc Pandioniae cultus Latiaeque Camoenæ,
Hoc meruit Themidos nobilioris amor.
Felix, JANE, dies, quo primum foedere certo
Purior adstrinxit mutua corda Deus!
Quæque solet castos virtus sine felle Poëtas
Jungere, perpetua junxit utrumque fide,
Priscaque simplicitas, & mens ignara lupati,
Atque animi quales plebs male novit opes,
Et citharae commune decus, frondosaque junctis
Gressibus Aönii culmina trita jugi.
O quoties numeris hæsit stupefacta canoris
Et genio plausit nostra Thalia Tuo!
O quoties fusi mollem, dilecte, per herbam
Haufimus aure Tuos depereunte sonos.

Seu

Seu facili caneres testudine ruris amores
Tityre sive tuos, seu Meliboei, tuos;
Aut pede Mæonio felix ad sidera ferres
Conspicuos miti Palladis arte viros;
Lumina vel placitæ laudares blanda puellæ,
Festivus qua te compede vincit amor;
Purpureasque genas, & lætos frontis honores,
Quæque sibi veller lactea colla Venus!
Illa etiam silvæ, etiam nemora alta loquuntur,
Illa Tuo magnum munere nomen habet.
Audiit æthereos imo sub gurgite cantus
Vechta pater, cursus sustinuitque suos,
Naides & viridi circumdata tempora musco
Ad tersos medio sustulere amne modos,
Et merito: infantem cum te Pataræus Apollo
Jusserit Orpheæ fila movere lyræ,
Calliope tenerum cum sedula foverit ulnis,
Sederis & gremio sarcina blanda Deæ.
Aönidas testor; nunquam, si mentior, adsit
Aönidum votis turba vocata meis;
Non Tibi, tot Juvenes, tot doctos inter amicos,
Facundo vidi pectine, JANE, parem.
Nullus Apollinea caput altius extulit arte,
Aut valuit meritis proximus esse Tuis.
Quos Tibi Corycio Phœbus dictasse sub antro
Creditur, & sacri turba novena chori,
Illos, nec falsum est, fertur tinnire lepores
Idalius cupidæ matris in aure puer.
Elyso veteres quod si de litore vates
Ad superas redeant turba beata domos,
Et facili tractent scriptos tot Apolline versus,
Pigneraque ingenii prodigiosa Tui,
Protinus illa sui monumenta insignia sæcli
Agnoscent, dominas injicientque manus.
Hos videat lusus Nemesis formosa, putabit
Carmina se vatis nota videre sui;
Jurabit numeros se cari audire Properti,
Audiat ut numeros Cynthia docta Tuos.

Par Tibi legitimā mox laus surtexit ab arte,
Et studiis crevit par decus inde Tuis.
Obsequio gavisa pio Themis æqua precanti
Adfuit, & facilem se Tibi sponte dedit,
Qualis Romuleo priscis de sanguine mystis
Pectora monstravit casta videnda suis;
Qualis in amplexus depulsis lata tenebris
CUJACII quondam creditur ifsc sui.
Ignoto hæc aliis Te tramite currere jussit,
Atque adjutricem præbuit ipsa manum;
Ausonii & docuit veneranda oracula juris
Volvere solerti nocte dieque manu.
Arida coenosō plebs gurgite pectora inundet,
Glandibus & spreta fruge fruatur iners,
Te Dea Te meliore cibo replevit, alumnum
Ambrosio & pavit nectare amica suum;
Atque ut promerito te tandem exornet honore,
Et studii prodat splendida signa sui,
Inncxo viridi Juvenilia tempora ramo
Herōas inter dat tenuisse locum.
Nobile JANE decus prudentibus addite salve,
Salve legiferæ mactus amore Deæ,
Thespiacisque simul certissima gloria lymphis,
Famaque Piimplæo non moritura choro.
Quam bene convenient bifidi de culmine Pindi
Lectaque Cecropiis laurea ferta jugis!
Quam bene convenient cultis quæ Musa Poëtis
Quæque solet mystis præmia ferre Themis?
O Felix tot cura Deum, tot cura Dearum!
Cui gemina splendor multus ab arte venit!
In Te nil Stygiæ, livor licet audiat, undæ,
In Te nil Lachesis ferrea juris habet!
Quot bona non parit hæc Tibi lux! ut fausta juventæ
Omina Palladii testa per alta sonant!
Ut genitor natum gratantibus induit ulnis,
Lætitia lacrymas eliciente pias!
Talem se meminit quondam florente juventa,
Ornaret dignas cum Panacea comas.

Nec

Nec tamen & pietas quondam Tibi cognita nunc est
OOSTERDYKIADÆ displicitura Tui.
Nec tanto occurret mea Musa in honora Poëtæ,
Illa patrocinio Musa superba Tuo,
Quæ meritis se plura Tuis debere fatetur,
Quæ toties plausus, Te tribuente, tulit.
Adspice ut ætherco venas incensa calore
Gestiat in titulos ire animosa Tuos.
Adspice sinceros animi testantia cultus
Obferat ut grata tenuia dona manu.
Dum tamen exultat, dum missis integra curis
Percipere ex omni gaudia parte parat,
Discessus invisa Tui succurrit imago,
Et premit hic tacitus nubila corda dolor.
Ergo Thesea junctum mihi lege sodalem
Abstrahit amplexu sors inimica meo!
Nec lateri vatis mecum crescentis adhærens
Illi adloquiis utar, & ille meis!
Non lusus velut ante meos, & seria nosceret;
Nec tereti faciles exiget aure modos.
Amstela, qui fidum rursus mihi tollis amicum;
Quis dedit in socios jus tibi, dure, meos?
Quæ, precor, invidia est, vicini lumina Vechtæ
In Tua furtiva sublegere arva manu?
Sunt Tibi (& o longum superent!) qui pedine scito
Castalias valeant demeruisse Deas.
Sed Trajectino Musas quis limine sistet?
Quis feret ad cives Orgia casta meos?
Quo sacros præeunte modos, solennia thura
Injicit Clariis culta juventa focis?
Quid queror? invitus caris avulsus amicis
Amstelii tendis limina ad ampla fori.
Nec mihi, quod nobis ex æquo triste pararunt
Numina, fas festo commemorare die.
I Felix! votis melius comitabor euntem,
Quo te fata vocant, quo Tuus ardor agit!
Nec Tibi, quæ primis tot vates abstulit annis,
Atropos ante diem stamina curta fecet!

Sed

Sed potius fausto dum navus tramite pergis,
De niveo ducat vellere Parca colum?
I Felix! mox te numerosa caterva clientum
Obtineant causas vindice tuta suas!
Te pignus cœleste diu pater Amstela servet!
Efferat & tanto nobile ciye caput!
Quique Tuas urit sine fine Cupido medullas;
Mox Tibi conjugii vincula blanda paret!
Et posito tandem pulcherrima DELIA fastu
Tendat amatori brachia victa suo!
At Tibi non unquam, quacunque agiteris ab aura,
Exciderint animo foedera nostra pio!
Alite sed dextro qui cœpit, perfstet utrumque,
Perfstet in æternum nec soltiendus amor!
Plurimaque absentem caræ me litera dextræ
Litera Cecropio tincta lepore beet!
Et tetricos inter si quæ Tibi lusa labores
Fac recreent animum carmina missa meum!
Nos quoque, si viles non averseris honores,
Incultæ dabimus munera parva lyræ.
Hæc Themidem, Phœbumque patrem, castamque Minervam;
Hæc mecum Aonias crede rogare Deas.

HERMANNUS OOSTERDYK;

JOANNIS FILIUS.

EGREGIO JUVENI
JANO ANTONIO HELVETIO,
quum J. V. D. publice renunciaretur.

Gloria Castalidum, decus immortale sororum.
Jane, cerebrigenæ plurima cura Deæ,
Te, sibi dicatum primis quem noverat annis,
Quemque fovet studio turba novena suo,
Tene adeo Astrææ profugæ nova cura tenebit,
Et rapient streperi jurgia mille fori?
Otia Phœbus amat; Phœbo contraria miscet
Horrida continuæ prælia litis amor.
Num tandem HELVETICÆ rellinquent gaudia villæ,
Quæ dudum doctæ deperire Deæ?
Et tamen imbelles metuunt convitia linguae,
Atque venenata spicula torta manu.
Num Tibi vilescit Phœbeæ gloria laurus?
Et dudum fronti parta corona Tuæ?
Te Latio ostentat bene culta Batavia vatem,
Hunc quondam vellet Roma fuisse suum:
Sæpe sui oblita volucres modulaminis aures,
Atque avidas sylvæ sape dedere Tuo;
Nympharum genus & genialia Numinæ glaucis
Protinus ex antris exscrucere caput:

O

Vech.

Vechtā patet; patriam qui circumvolvit oram,
Adstitit, ad numeros subsiliitque Tuos:
Ars ubi pulcra manet, quum plurima turba clientum
Hæsura est lateri supplice voce Tuo?
Nos quondam socio Regina scientia vidit
Consilio sacris invigilare suis;
Hanc eadem jaetura premit, sibi conscientia damni
Hæc visa est querulo fundere verba fono:
„ Quæ Tibi mutarunt tandem nimis invida mentem
„ Numina, quid pactam destituisque fidem?
„ Ergone nequicquam Tibi brachia blanda tetendi,
„ Te duxi certa per mea regna manu?
„ Impune exemplo num facta ferocior isto
„ Jactabit nomen postera turba Tuum?”
Fallor, an hæc questæ Dea lance & pondere nota
Adstitit, & lacrimas jussit abesse genis?
„ Nulla Tibi, dixit, Musisve pericula finge
„ Non sunt a vestris nostra aliena sacriss:
„ Nobile, & ad summos adspirans pectus honores
„ Non una (hoc vulgi est) gaudet ab arte colli;
„ Denegat angusto vastæ vis ignea mentis
„ Carcere compesci, fræna remissa jubet:
„ Ardua contemnit vulgaria nomina virtus,
„ Surgit & a titulis altior usque suis.
„ Num mage GROTIADÆ toto celebratius orbe
„ Nomen ab immensa cognitione datur?
„ Sit meus, Ausonio sit gloria plurima juri,
„ Sic tamen & multo nomine vester erat:
„ Has imitata faces aliis Ductoribus uti
„ HELVETII haud didicit mens generosa mei;
„ Ultima felices consummatura triumphos
„ A titulis veniet gloria nata meis:
„ Ipsa

„ Ipsa ego victoris victoria tempora lauris,
 „ Et nomen fastis infero læta meis.”
 Inserit, & molli demulcens pollice pectus,
 Oscula dat caris, mox abitura, genis.
 Ast simul ac cultas, monumenta insignia, chartas
 Adspicit, ignorant qualia sola mori,
 Hinc, ait, hinc genitrix agnosce Batavia civem
 Ingenuum; haud *Regni* pulcrius instar habes.
 Non nisi temperie perstat moderanda potestas;
 Succumbit moli vis truculenta suæ.
 Non, ubi grassatur tumido percussa furore,
 Sævit & in cives ebria turba suos,
 Non, ubi vincla parat magis exitiosa tyrannis,
 Publica res certa conditione viget:
 Nulla ibi vis legum, nulla est reverentia juris,
 Est pro lege favor, pro pietate dolus:
 Venalis judex, auro venalia jura,
 Fraus secura sui, jus scelerique datur:
 Dulcia crudelis solvit connubia nutus,
 Tuta nec est patria casta puella domo.
 Non aliter fusus Tuus, ô *Lucretia*, sanguis,
 Scilicet hoc solo sanguine tutus honos.
 O nimium felix, funeri quæ proxima *Bruti*
 Salva es ultrici Martia Roma manu!
 Degeneres, longa fractæque libidine vires
 Servitii impositum perpetiantur onus;
 Immemores animas cœlestis originis ultro
 Flectere ad arbitrium purpura sola queat;
 Ast, quæ magnanimis caluerunt pectora flammis,
 Quæ patriæ norunt commoda vera suæ,
 Unica fortunæ flectit præsentis imago,
 Non metus, aut cœco poena furore comes.

Sic decet antiquum Batavorum nomen, & ausus,
Sic decet, excusso libera colla jugo.
Non alios foveat communis patria sensus,
Non alio discat degener ore loqui!
Rumpere livor iners, Libertas Publica curis,
HELVETI, addubitat plaudere nulla Tais,
Quin Tua venturo commendat scripta nepoti,
Ac tutelarem Te vocat usque Deum.
Vos vero, Amsteliæ, jam tollite culmina, turres,
Altius, & civem jactitet Ya novum.
Ut Tua marmoreis stet Curia fulta columnis,
Ut celsa æternum spondeat artis opus,
His tamen, his humeris melius suffulta perennet,
Quum premat hos multa publica mole salus.
Vive perennis honos patriæ, sed vive sodalis,
Et memor obsequii, candide JANE, mei.

S. H. MANGER.

CULTISSIMO MUSARUM
ALUMNO
JANO ANTONIO HELVETIO,

Cum solemniter lauream Doctoralem consequeretur.

Digna licet nequeam te scribere carmina, Vates,
Plectra tamen digitis increpitanda meis.
Sæpe licet dicam, Pindi juga celsa valete,
Et sibi res habeat Calliopea iuas.
Attramen abjectam cytharam me sumere cogit
HELVETIUS, Proavis non minor ipse suis.
Tinnula sed quis erit, qui plectra movere docebit,
Pocla quis Aönio nectare plena dabit?
Nullus? an antra tenet triplex nunc triga sororum?
Stricta riget duro Cæstalis unda gelu?
Et rigeat; præeunte tamen Te carmina fundam,
Tu mihi Calliope, Tu mihi Phœbus eris.
Fundere quem versus doctæ docuere sorores,
Et docuit Phœbus tangere fila lyræ.
Nec, scio, despicies viles, Gratissime, cantus:
In magnis rebus sit voluisse fatis!
Deficeret pinguis cum victima, sæpius ipsis
Grata fuit superis agna tenella Deis.
Ast uti vix cymbam committit navita vasto
Oceano, quamvis vix mare ventus agat:
Cingere sic dubito doctos Tibi fronde capillos;
Lætaque festivis nectere verba modis:
Aequora cum laudum pateant tam lata Tuarum,

Ut vix, quid laudet mens stupefacta sciatur.
Miratur cultos, hedera dignissime Vates,
Quae ipsæ Aönides obstupuere, modos.
Quos Phœbus, quoties versus recitantis ab ore
Penderet, cupida combibit aure modos.
Quos si vidissent antiquæ mœnia Romæ,
Dixissent, „ Naso hos protulit ore modos :
„ Carmina vcl potius sunt hæc Divina Maronis,
„ HELVETII sed sunt carmina scripta manu.”
Obstupet egregium solertis mentis acumen,
Scriptaque, quæ mentis sunt monumenta Tuæ.
Qualia vix juvenem scripsisse sequentia credent
Secula, sed senio judicioque gravem.
Obstupet ipsa Themis, tandemque his vocibus usa est :
„ BYNKERSHOEKIADÆ sunt ea scripta mei :
„ Vel GROTI pietas nec vincia nec arma timentis
„ Hæc scripsit : Juvenis non ea scripta manu.”
Volvite degeneres Romani hæc scripta nepotes,
Disciteque hinc Proavum facta probanda sequi!
Non toties ideo moverunt prælia patres,
Emataque Libertas sanguine sæpe fuit.
Non ideo Reges BRUTI labor expulit urbe,
Inque suos natos sæviit ipse parens.
Curia non ideo duros exosa Tyrannos,
Cæsaris occisi sanguine foeda fuit.
Ut graviora suos premerent post vincla nepotes,
Pontificumve jugo subdita, Roma, forces.
Obstupet hoc docto deperdita Roma libello?
Seque dolet Proayos degenerasse suos?
Fallor : Et hoc nunquam jam lumine cassa videbit,
Sub tot Pontificum vivere sueta jugo.
Obstupet ast doctis gaudens his BELGICA chartis,
Impressasque animo Patria nostra gerit:
Quæ Regum nomen, Regumque perosa furores,
Subduxit toties libera colla jugo.
Hoc tua, Tarquinii non inficianda propago,
Impcriosa nimis sensit, Ibere, manus :
Sensit & hoc Regio Celtarum perdita luxu,

Sentiet hoc BATAVIS qui parat arma viris?
Obstupet... Ast omnes si velle scribere laudes,
 Versibus haud nostris meta statuta foret.
Te mihi Piërides doctum junxere sodalem,
 Te socio Pindi sunt juga trita mihi,
Te socio Themidi nostros sacravimus annos,
 Et dedimus sacris thura merumque foci.
Te mihi devinctum nunc tollunt fata sodalem,
 AMSTELIIQUE jubent tecta subire Laris.
Aemule quid nostros tu surripis, AMSTELA, vates!
 Seu quid legiferæ pectora sacra Deæ!
Lubrica sors, quid non mortalia pectora ferre
 Cogis, & immisces tristia quanta bonis!
Quæ vero quondam dextris sociavimus ambo,
 Zoilus hoc doleat, fœdera firma manent.
His non auratas quas fert America messes
 Præfeto, nec cumulet quas niger Indus opes:
His nec tempus edax, non alba senecta nocebit,
 Foedus amicitia non nisi morte perit.
Sic ego plangebam, plangentem Numinia Musæ
 Viderunt, lachrymas nec tenuere suas.
Mecum Naiades passis luxere capillis,
 Nec parcunt roseas dilaniare genas.
Ast ubi VECHTA pater redimitus tempora junco
 Senferat has turbas, extulit amne caput.
,, Quid lachrymis, inquit, fædatis, Nurania, vultus?
,, Quid vos nunc teneras rumpitis ungue genas?
,, Sic volvunt Parcæ, Parcis parere necesse est,
 Hunc quæ TRAJECTI linquere rura jubent.
,, AMSTELIOS nunc ille lares, & moenia grata,
 Haud longe a nostris dissita rura petit.
,, Hunc, si mordaces mittat de pectore curas,
 Atque umbram captans otia latus agat.
,, Isthic TRAJECTI nunquam meminisse pigebit
 Tempe, quæ toties sunt pede trita suo.
,, Carminibusque suis intexet nomina nostra,
 ,, AMSTELA, sive tibi, seu canet, YA, tibi,
 Et socios revocasse suo sermone juvabit,

„ Quos

„ Quos secum junxit non simulatus amor.”
Hæc ubi dicta, Pater purgavit flumine vultus,
Nymphæ flumineas mox subiere domos.
AMSTELA, arundinæ qui cingens tempora vittâ
Ditia GYSBRECHTI mœnia lambis aqua,
AMSTELIAÆQUE arces, Phœbo Themidique sacratæ,
Piériis semper portus & ara Viris;
Cum quæs mutavit Pallas Pandionis arces,
Quæque a Cecropio nomine nomen habent:
Hujus quem varias Pallas formavit ad artes,
Cujus & in Iabiis Suada Latina sedet,
Gordiacosque Themis docuit quem solvere nodos
Juris, in incertis rebus adite domum:
Hic responsa dabit, quæs lectis, AMSTELA, dices:
„ Non opus est libris, cana Sibylla, tuis.
„ Barbara jactantes fileant oracula Delphi,
„ HELVETIUS longe nobiliora dabit.”
Hunc tibi ne civem perdant, mihi fata sodalem,
Continuis precibus sollicitabo Deum.
Sic plures dextrâ numeret sine nubibus annos!
Serus in Elysium trajiciatque nemus!
Sic fruere o longum, quem jactes, Ya, Poëtâ!
GOESANO similem VONDELIOQUE parem!
Sic habeas civem, quo vindice tuta vigebit
Publica res, vigeat quo duce priva salus!
Civibus AMSTELIIS redeant sic aurea secula!
Sic repetat terras propitiata Themis!

R. A. VAN BEEM.